Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Sagittarius

Iustiniani Imperatoris Augustissimi Institutionum Libri IV. : Quos Nova quadam Alchymia in Axiomata seu Regulas iuris resolutos

Breslae: Breslae: Müllerus: Baumannus, 1619

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

~~36 XIV. 13.~~

J. R.
30. b. 11

Pr. pl-607. Ind

Je-3178.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777861941/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777861941/phys_0004
DFG

JVSTINIANI
IMPERATORIS
AUGUSTISSIMI
INSTITUTIONUM
LIBRI IV.

Quos
Novâ quâdam Alchymiâ in
AXIOMATA seu REGULAS
juris resolutos.
Ad usum cupidæ Legum Juventutis
soli aprico exponit, & cœnæ pleniori brevi subsecturæ præponit
& præmittit

THOMAS SAGITTARIUS
J. U. D.

Adjectæ sunt REGULÆ *Juris*
Civilis & Canonici.

BRESLÆ
Typis Georgi Baumanni.
Impensis Davidis Mülleri Bibliop.
ANNO

M. DC. XIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777861941/phys_0006
DFG

Quâ gente, quâ mente.
Quâ genio, quâ ingenio

Veré

Nobilibus Adolescentibus,

JOHANNI-GEORGIO à Seidlitz & Niclasdorff.

FRIDERICO à Ratschitz & Arnsdorff

WENCESLAO à Reder & Zirpitz.

DAVIDI ab Eicheuser, von vnd auff Lehnhart.

GEORGIO à Schweinigen auff Wilxkaw.

SAMUELI ab Horn vnd Kleindieben/auff Pfaffendorff vnd Weißbach.

JOACHIMO-FRIDERICO à Lytzrtz auff Sabur/ Wilxig vnd Born.

JOACHIMO-HILDEBRANDO ab Huntt auff Altengrottkaw/Raussig vnd Vnwerdaw.

Discipulis meis lectissimis & dilectissimis salutem, Ψυχίαν, καὶ Ζωΐαν precor.

INSTITUTIONES JURIS omnibus quicunq; ad JURISPRUDENTIÆ intima perrumpere volunt penetralia, primitùs addiscendas esse, & omni studio pervolvendas & evolvendas, nemo, qui sani fuit cerebri, negavit hactenus. Nec quis potuit, nisi omnia ad antiquum chaos reducere, ingenia ad veteres Labyrinthos aut carceres protrudere, aut suos sine remis velisq; ἀβούλως καὶ προπετῶς, confuso Legum, opinionúmque Oceano voluisset committere.

Clarè & præclarè noster Imperator Justinianus, Necesse est, inquit, (a) Institutiones in omnibus studiis primum sibi vendicare locum, utpote

(a) Const. Omnem. de iur. docendi ratione.

pote prima vestigia huius scientiæ tradentes. Quo nomine & hasce prima legum incunabula (b) & totius legitimæ scientiæ elementa (c) vocat ille ipse.

Neque id sine optimâ ratione. Ita enim videntur hæc commodissimè tradi posse, si primò levi ac simplici viâ, post denique diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione singula tradantur. Alioqui si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpè etiam cum diffidentia, (quæ plerumque juvenes avertit) serius ad id perducemus, ad quod

b) §. Cumque hoc. 4. in Proœm. Inst.

(c) §. Igitur. 5. id. proœm. Inst.

leviore viâ ductus, sine magno labore & sine ulla diffidentia perduci potuisset, quod iterum inquit Justinianus. (d)

(d) §. Hùc igitur. 3. Inst. de Instit. & jure

Sed quoad modum docendi & discendi Institutiones, *tot ferè sunt sententiæ, & susceptæ hactenus viæ, quot*

frigore primo
lapsa cadunt folia.

Ut, si ullibi, & hìc juventuti crux fixa esse videatur, quam illa ipso in limine aspiciens & conspiciens sæpè suo à proposito honestissimo absterretur, vel si in eo immota persistat, suis in studiis & cogitationibus, longè peius quàm Hippolytus ille Ovidianus, distrahatur & discerpatur & rarissimè solidæ eruditionis portum aut partem assequatur.

Sit

Sit suum cuique pulchrum, & placeat suo Jovi Juno, Amphitruoni Alcmena: Mihi duo hac in navigatione Ulyssis illâ magis periculosa apparent, veluti Helenæ sidera, quæ si probè observentur, certus sum, meum hunc Ganymedem sine ullo naufragio ex hoc mari sese extricare posse, & tandem toto legitimo opere perfecto, ad Deorum concilium aspirare, Rémque publicam commissam, bonis & avibus & opibus gubernare. (c)

Unum est PRÆCEPTORUM accurata & fidelis EXPLICATIO: ALTERUM est AXIOMATUM seu REGULARUM Juris *ex hisce deductorum provida & diligens* ANNOTATIO. *Neutra sine magno discentium negligi potest dispendio.*

(c) §. 4. *Summa. ff. in d. Proœm. Inst.*

PRÆCEPTA enim artium & disciplinarum constituunt corpora, quæ ex hisce tanquam nervis, ossibus & vivâ carne colliguntur & colligantur.

Hæc cuiusque libri & Tituli *exquisitâ* DISPOSITIONE, TEXTUS *verâ* LECTIONE, CASUS *manifesti propriâ* APPOSITIONE & DECISIONE, *Rationumq; cur ita decidatur, brevissimâ* ASSIGNATONE *explicari debent & explanari. Cætera quæ aliàs in Juris enodatione occurrunt, ad illam diligentissimam atque exactissimam interpretationem, quam vocat Imperator* (f) *referenda sunt, & differenda omnia. Quibus de & nostri peculiari quodam exemplo* σὺν Θεῷ *breviteſtabuntur labores.*

(f) d. §. Ita igitur. §. Instit. de Just. & Jure.

AXIOMATA verò seu REGULÆ *tum*

tum in omnibus disciplinis & FACULTATIBUS, tum vel maximè in nostra JURISPRUDENTIA longè plurimum habent momenti & emolumenti. Sunt enim hæc principia, quæ per totum artis corpus sub unius Animæ, Veritatem puto, *dominio diffunduntur, & veluti spiritus ad omnes partes florido vitæ balsamo deducuntur & diducuntur. Principiorum aggressionibus atq; constitutionib. & disputandum & procedendum ad conclusiones, inquit Scaliger.* (g)

Unde & suum sapientem non solùm quæ ex principiis sunt, cognoscere, sed etiam in principiis verum tenere, ait Aristoteles. (h) *Nec malè nostri: Regula rem breviter enarrat.* (i) *Qui Regulæ insistit intentionem habet fundatam, &*

(g) Com. in 2. Theo. de caus. plant. c. 1. f. 107.

(h) 6. Ethic. Nico. c. 7.

(i) l. Regula est 1. ff. de R. I.

contrariam in adversarium transfert probationem, quod docent ex Ulpiano, (k) & Paulo (l) Bartolus (m) & cum aliis Schurfius (n) & Regulæ standum esse eousque, donec doceatur de exceptione, inquit Dom. Arumæus. (o)

Huiusmodi Regulæ magnam utilitatem in omni scientiarum genere adferunt, inquit Gothofredus. (p) Paucis. Harum Regularum seu Axiomatum usus, quàm necessarius sit, ex multis facilè constat. Primùm, quod ingenium suâ brevitate delectant, memoriam non onerant, ad scientiam celeriùs perducunt, cœterùm linguam, quam maximè erudiunt.

Namque per Regulas & elegantes formulas longè clariùs ac promptiùs mentis conceptum explicamus.

(k) l. Divus 5 §. 1 ff. her pet.
(l) l. Ab ea parte 5. ff. de prob.
(m) In l. 2. ff. de injusvocand. n. 2.
(n) consil. 59. num. 8. cent. 1.
(o) Tract. de mora. c. 1. n. 46.
(p) Ad l. Regula ff. ff. de R. I. c.

mus. Idq; verissimum esse, quotidianâ experientiâ edocemur, quod inquit Matth. Gribaldus. (q) Hisce & aliis quamplurimis commotus, & hoc quicquid est laboris, nolui subterfugere.

(q) libr. 1. de Rat. stu. c. 7. pag. 43. & seq.

Sed INSTITUTIONES Juris iterum atque iterum percurri, & quæ ex harum præceptis elici & deprimi potuerunt Axiomata, elicui & deprompsi, ductus etiam privatim meo quodam consilio. Quo de cum doctis non tantùm contuli sæpè, & quantum hinc ad præceptorum istorum Imperialium cognitionem & pleniorem intelligentiam commodè utentibus accedere possit præsidium & subsidium, coràm ostendi: Sed & sententiæ meæ & propositi favitores & approbatores inveni quamplurimos. Verùm

(r) Olym. od. 6. Stro. 4. Antistroph.

τεκμαίρει
χρήμ' ἕκαστον, *inquit Pindarus.* (r)

(s) di. Olymp. od. 4 Antistr.

μὰ πειρᾶσθαι
βεβλῶν ἔλεγχον (s)

utpote quæ & non rarò

t) d. Olym. od. 1. Stro. 2.

ἄπιστον ἀμήσασθαι φιτὸν
ἔμμεναι τὸ πολλάκις. (t)

Hoc qualecunque munus chartaceum Vobis, Discipuli mei lectissimi & dilectissimi, consecro & devoveo, tùm ut meum erga vestram gentem & familias nobilissimas & honoratissimas adfectum declarem faventissimum: Tum vel maximè, ut vobis ad altiora jam jam aspirantibus facem quasi quandam præferam, ut perceptis Philosophicis disciplinis etiam in nostro

hoc

hoc Gymnasio INSTITUTIONES *Juris, vel minimum ex hisce depromptas* REGULAS *sine magno labore (Quis enim & quantus tandem labor est duo millia fortè vel circiter, eaque brevia, horis succisivis, inter jocos etiam & risus memoriæ mandare Axiomata?) non tantùm edíscere: Sed & nucem hanc maturè frangere, nucleum invenire, & pro re & ætate ad usum vestrum quodammodo applicare positis & accommodare.*

Vos ergò ô mei, hoc quicquid est muneris, promptâ manu & mente accipite, textumque harum INSTITUTIONUM, *qui ipsius* IMPERATORIS *est; Plenissimum enim Imperialium constitutionũ robur illis accom-*

accommodavit ipsè, (u) alacri studio percurrite, cuique Titulo subjectas juris REGULAS, quas & ego publicè explicaturus sum, ediscite, & Vosmetipsos sic eruditos tandem ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto posse etiam Rempublicam in partibus eius vobis credendis gubernari.

(u) §. Quas ex omnibus. 7. in Proæm. Instit. Const. Dedit. §. Sed cùm oportebat. 11. de confirmat. tutorum.

Quæ Imperatoris verba vos probè perpendere, & pro parentum vestrorum Nobilissimorum votis & seriis suspiriis ad propositum finem unicè tendere debetis & contendere. Sic ô vos

Dextra DEI, & patrum deducat ad ardua virtus,
Nobilitas per vos ut honore virente triumphet.

Va-

Valete. Dabam Breslæ decimo octavo Augusti, Anni huius M. DC. XIX.

Vester

Sagittarius

Gymnasi &
Scholarum
ibidem
Rector & Inspector.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0019
DFG

PROOEMIUM DE CONFIRMATIONE INSTITUTIONUM.

In Nomine Domini nostri Iesu Christi.

IMPERATOR *Cæsar, Flavius, Iustinianus, Alamanicus, Gotticus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus, cupidæ legum juventuti* [S. D.]

IMPERATORIAM majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari: & Princeps Romanus non solùm in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam jure religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator [magnificus.] 1. ¶ Quorum utramque viam cum summis vigiliis, summáque pro-

videntia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros barbaricæ gentes sub juga nostra redactæ cognoscunt, & tam Africa, quàm aliæ innumeræ provinciæ, post tanta temporum spacia, nostris victoriis à cœlesti numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostróque additæ imperio, protestantur. Omnes verò populi legibus tam à nobis promulgatis, quàm compositis, reguntur. 2. ¶ Et cùm sacratissimas constitutiones, antea confusas, in luculentam erexímus consonantiam, tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina, & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cœlesti favore jam adimplevimus; ¶ Cùmque hoc, Deo propitio, peractum est: Triboniano viro magnifico, magistro, & exquæstore sacri palatii nostri, [& ex consule] nec non Theophilo, & Dorotheo, viris illustribus, antecessoribus, (quorum omnium solertiam & legum scientiam, & circa nostras jussiones fidem, jam ex multis rerum argumentis accepimus) convocatis, mandavimus specialiter, ut ipsi nostrâ auctoritate, nostrísque suasionibus, institutiones componerent: ut liceat vobis prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperiali splen-

splendore appetere: & tam aures, quàm animi vestri, nihil inutile, nihilque perperam positum: sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiant, & quod priori tempore vix post quadriennium [Prioribus] contingebat, [ut tunc constitutiones Imperatorias legerent:] hoc vos à primordio ingrediamini, dignitanto honore, tantáque reperti felicitate, ut & initium vobis, & finis legum eruditionis à voce principali procedat.

4. ¶ Igitur post libros quinquaginta Digestorum seu Pandectarum (in quibus omne jus antiquum collectum est, quos per eundem virum excelsum Tribonianum: nec non cæteros viros illustres, & facundissimos confecimus) in quatuor libros easdem Institutiones partiri jussimus: ut sint totius legitimæ scientiæ prima elementa. 5. ¶ In quibus breviter expositum est: & quod antea obtinebat: & quod postea desuetudine inumbratum, Imperiali remedio illuminatum est. 6. ¶ Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, & præcipuè ex Commentariis Caij nostri, tam institutionum, quàm rerum quotidianarum, aliisque multis commentariis compositis, cùm tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus & recogno-

gnovimus, & pleniſſimum noſtrarum conſtitionum robur eis accommodavimus. 7 ¶ Summâ itaque ope, & alacri ſtudio has leges noſtras accipite: & vosmetipſos ſic eruditos oſtendite: ut ſpes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere profecto, poſſe etiam noſtram Rempub. in partibus eius vobis credendis gubernari. D. CP. XI. Calend Decemb. D. JUSTINIANO PP. A. III. CONS. 533.

REGULÆ JURIS
Ex Proœmio Inſtitutionum excerptæ.

1. *Imperatoria majeſtas debet eſſe armis decorata*, Prin. hîc.

2. *Imperatoria majeſtas debet eſſe legibus armata*, Princ. hîc,

3. *Imperator debet tempus bellorum & pacis rectè gubernare*, Princ. hîc.

4. *Imperator debet in præliis victor exiſtere*, Princ. hîc.

5. *Imperator debet per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellere*. Prin. hîc.

6. *Imperator tàm bellis quàm pace victoriam obtinere poteſt annuente Deo, & ſuis ſummis vigiliis, ſummâque providentiâ*, §. Quorum utramque. I. hîc.

7. *Victo-*

7. *Victoria omnis á cœlesti Numine præstatur*, §. Quorum utramque. 1. hîc.

8. *Imperatoris est, de legum luculentâ consonantiâ esse solicitum*, §. Et cùm. 2. hîc.

9. *Opera etiam desperata cœlesti favore adimplentur*, §. Et cùm. 2. hîc.

10. *Virûm bené meritis sua laus non est deroganda, exemplo Imperatoris Iustiniani*, §. Cumque hoc. 3. hîc.

11. *Viri docti magistratui suam non debent subtrahere operam, exemplo Tribuniani*, §. Cumq; hoc. 3. hîc.

12. *In Iureconsulto requiritur solertia, legum scientia, & circa jussiones fides*, §. Cumque hoc 3. hîc.

13. *Magistratus de suorum studiis debet esse solicitus*, §. Cumque hoc 3. hîc.

14. *Iura non ab antiquis fabulis discenda sunt, sed ab Imperiali splendore appetenda*, §. Cumque hoc. 3. hîc.

15. *Iura discens tantùm quod in ipsis rerum obtinet argumentis, accipiat*, §. Cumque hoc. 3. hîc.

16. *Magna est felicitas, si cui initium & finis legum eruditionis á voce Principali procedat*, §. Cumque hoc. 3. hîc.

17. *Sine totius legitimæ scientiæ elementis (puta In-*

ta Institutiones) in jure nemo potest feliciter procedere, §. Igitur. 4. hîc.

18. Iura, siquidem desuetudine inumbrata sunt, imperiali remedio illuminanda sunt, §. In quib. 5. hîc.

19. Iura antequam robur consequantur suum, prius legenda sunt & recognoscenda, §. Quas ex omnibus. 6. hîc.

20. Leges à discentibus summo & alacri studio accipiendæ sunt, §. fin. hîc.

21. Respublica Iuris studiosis gubernanda potest committi, §. fin. hîc.

22. Iuris Studiosi ad Rempublicam gubernandam non sunt admittendi, nisi toto LEGITIMO OPERE PERFECTO, §. final. hîc.

IN-

INSTITUTIONUM SEU ELEmentorum D. Justiniani sacratissimi Principis.

Liber Primus.

De Justicia & Jure.

Titulus. I.

Justitia est constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi. 1. ¶ Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia. 2. ¶ His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere jura populi Romani: ita videntur posse tradi commodissimè, si primò levi ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ atq exactissimâ interpretatione, singula tradantur: alioqui si statim ab initio rudem adhuc atque infirmum animum studiosi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus: duo;

rum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpè etiam cum diffidentia. (quæ plerunque juvenes avertit) serius ad id perducemus: ad quod, leviore viâ ductus, sine magno labore, & sine ulla diffidentia, maturius perduci potuisset. 3. ¶ Juris præcepta sunt hæc: honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. 4. ¶ Huius studii duæ sunt positiones, publicum & privatum. Publicum jus est, quod ad statum rei Romanæ spectat. Privatum, quod ad singulorum utilitatem. Dicendum est igitur de jure privato: quod tripertitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

REGULÆ JURIS
ex Tit. I. excerptæ.

1. *Omnis justitia constanter agit justa.* Princ. hîc.

2. *Iusticia constanter & perpetuò jus suum cuique tribuit.* Princ. hîc.

3. *Iurisprudentia res divinas atque humanas novit.* §. Jurisprudentia. 1. hîc.

4. *Iurisprudentia scit & justa & injusta.* §. Jurisprudentia 1. *scilicet illa præcipiendo ut fiant, hæc vetando, ne fiant.*

5. Docte-

5. Doctores quâ methodo sua proponant probè circumspiciant. §. His igitur. 2. hîc.

6. Iura primùm levi & simplici viâ sunt proponenda, §. his igitur. 2. hîc.

7. Iura levi & simplici viâ proposita post diligentissimâ atque exactissimâ Interpretatione, & quid m singula tradenda sunt, §. His igitur. 2. hîc.

8. Rudis & infirmus adhuc animus studiosi multitudine ac varietate rerum non est onerandus. §. His igitur. 2.

9. Multitudine rerum studiosus sæpè desertor studiorum efficitur. §. His igitur. 2. hîc.

10. Multitudine & varietate rerum seriùs ad eruditionem & legum scientiam studiosus perducitur, §. His igitur. 2. hîc.

11. Magnus labor & diffidentia plerumq; juvenes à studiis avertit, §. His igitur 2. hîc.

12. Leviore docendi viâ sine magno labore maturiùs ad legum scientiam studiosus perduci potest, §. His igitur 2. hîc.

13. Ius honestè vivere præcipit, §. Juris præcepta 3. hîc.

14. Ius alterum non esse lædendum, præcipit, §. Juris præcepta 3. hîc.

15. Ius suum cuiq; tribuere præcipit, §. Juris præcepta 3. hîc.

16. Et publica jus curat, §. Huius studii 4.

17. *Et privata, ac proinde etiam singulorum utilitatem jus curat*, §. Huius studii. 4. hîc.

18. *Ius non est casu ortum: sed est ex præceptis naturalibus gentium & civilibus recta cum ratione deductum*, §. Huius studii 4. hîc.

DE IVRE NATVrali, gentium & civili.

TIT. II.

IUS naturale est, quod naturâ omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est: sed omnium animalium, [quæ in cœlo,] quæ in terra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio & educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia istius juris peritia censeri. 1. ¶ Jus autem civile à jure gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus, & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit: id ipsius proprium civitatis est: vocaturque jus civile, quasi jus proprium ipsius

ipsius civitatis. Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit: id apud omnes peræquè custoditur: vocatúrque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utitur. Quæ singula, qualia sint, suis locis proponemus. 2. ¶ Sed jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Athenienſium, nam si quis velit Solonis, vel Draconis leges, appellare jus civile Athenienſium, non erraverit. Sic enim & jus, quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus: vel jus Quiritum, quo Quirites utuntur. Romani enim à [Romulo,] Quirites à Quirino appellantur. Sed quotiens non addimus nomen, cujus sit civitatis, noſtrum jus significamus. Sicuti cùm Poëtam dicimus, nec addimus nomen: subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Vergilius. Jus autem gentium omni humano generi commune eſt. Nam usu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ [jura] quædam sibi conſtituerunt. Bella etenim orta sunt, ac captivitates sequutæ, & servitutes, quæ sunt naturali juri contrariæ. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Et ex hoc

jure

jure gentium omnes penè contractus introducti sunt, ut emptio [&] venditio, locatio [&] conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles.

3. ¶ Constat a. jus nostrum, quo utimur, aut scripto, aut sine scripto: ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι, id est, *legum aliæ [sunt] scriptæ, aliæ non scriptæ.* Scriptum autem jus est lex, plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentum. 4. ¶ Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (veluti consule) constituebat. Plebiscitum est, quod plebs plebejo magistratu interrogante, (veluti Tribuno) constituebat. Plebs autem à Populo eò differt, quo species à genere: nam appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. Plebis autem appellatione, sine Patriciis & Senatoribus cæteri cives significantur, sed & Plebiscita lege Hortensia lata non minus valere, quàm leges cœperunt. 5. ¶ Senatusconsultum est, quod Senatus jubet, atque constituit. Nam cùm auctus esset populus Romanus in in eum modum, ut difficile esset in unum eũ convocari legis sanciendæ causa: æquum visum est, Senatum vice populi consuli.

6. ¶ Sed

6. ¶ Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem, quum lege Regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat. Quodcunq; ergò Imperator per epistolam constituit: vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. Hæc sunt quæ Constitutiones appellantur. Planè ex his quædam sunt personales, quæ nec ad exemplum trahuntur, [quoniam non hoc vult Princeps,] nam quod alicui ob meritum indulsit, vel si quam pœnam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit: personam non transgreditur. Aliæ autem quum generales sunt, omnes procul dubio tenent.

7. ¶ Prætorum quoque edicta non modicam obtinent juris auctoritatem. Hoc etiam jus honorariũ solemus appellare, quòd qui honores gerunt, id est, magistratus auctoritatem, huic juri dederunt. Proponebant & Ædiles Curules edictum de quibusdam causis, quod & ipsum juris honorarii portio est. 8. ¶ Responsa prudentium sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. Nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui jura publicè interpretarentur, quibus à Cæsare jus respon-

respondendi datum est, qui Jurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere à responso eorum non liceret, ut est constitutum. 9. ¶ Sine scripto jus venit, quod usus approbavit. nam diuturni mores consensu utentium comprobati, legem imitantur.

10. ¶ Et non ineleganter in duas species jus civile distributum esse videtur. Nam origo eius ab institutis duarum civitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat, ut Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus observabant, memoriæ mandarent: Athenienses verò ea, quæ in legib. scripta comprehendissent, custodirent. 11. ¶ Sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur: divinâ quâdam providentiâ constituta, semper firma & immutabilia permanent. Ea verò, quæ ipsa sibi quæque civitas constituit, sæpè mutari solent vel tacito consensu populi, vel aliâ postea lege latâ. 12. ¶ Omne autem jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de personis videamus. nam parum est, jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorenur.

REGU-

REGULÆ JURIS
ex Tit. II. excerptæ.

1. *Ius naturale omnia animalia docuit*, Princip. hîc.

2. *Hinc* : *Ius naturale est omnium animalium*, princ. hîc.

3. *Maris & fœminæ conjunctio est juris naturalis*, princ. hîc.

4. *Liberorum procreatio est juris naturalis*, princ. hîc.

5. *Liberorum educatio est juris naturalis*, princ. hîc.

6. *Omnes populi legibus & moribus reguntur*, §. Jus autem 1. hîc.

7. *Omnes populi tùm proprio, tùm communi jure utuntur*, §. jus autem 1. hîc.

8. *Naturalis ratio inter omnes homines jus aliquod constituit*, §. jus autem 1. hîc.

9. *Ius gentium apud omnes gentes peræquè custoditur*, §. jus autem 1. hîc.

10. *Ius civile ex suâ civitate appellatur*, §. sed jus 1. hîc.

11. *Quoties non additur nomen civitatis, jus Romanum κατ' ἐξοχὴν intelligitur*, §. Sed jus. 2. hîc.

12. *Ius*

12. *Ius gentium omni humano generi commune est*, §. Sed jus. 2. hîc

13. *Gentes usu exigente & necessitatibus jura sibi constituerunt.* §. Sed jus. 2. hîc.

14. *Bella, captivitates & servitutes sunt juris gentium*, §. Sed jus. 2. hîc.

15. *Servitus juri naturali contraria est*, §. Sed jus. 2. hîc.

16. *Iure naturali omnes homines liberi nascuntur*, §. Sed jus. 2. hîc.

17. *Omnes penè contractus sunt juris gentium*, §. Sed jus. 2. hîc.

18. *Ius uostrum, quo utimur, constat scripto, aut sine scripto*, §, Constat autem. 3. hîc.

19. *Differt species à genere*, §. Lex est. 4. hic.

20. *Populus non semper convocari potest*, § Senatusconsultum. 5. hic.

21. *Senatus vice populi consulendus est*, §. Senatusconsultum. 5. hic.

22. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*, §. Sed & quod Principi. 6. hic.

23, *Principi populus omne suum imperium & potestatem concessit*, §. Sed & quod Principi. 6. hic.

24. *Personales Principum indulgentiæ ad exempla non trahuntur*, §. Sed & quod Principi. 6. hic.

25. Ge-

25. *Generales Principum constitutiones omnes tenent*. §. Sed & quod Principi. 6. hîc.

26. *Iureconsultis à Cæsare de jure respondendi jus concedebatur*, §. Sed & quod Principi. 6. hîc.

27. *A sententiis Iureconsultorum judici recedere olim non licebat*, §. Responsa 8. hîc.

28. *Diuturni mores consensu utentium comprobati legem imitantur*, §. Sine scripto 9. hîc.

29. *Aliorum bonas inventiones imitari nihil prohibet*, §. Et non ineleganter. 10. hîc.

30. *Naturalia jura apud omnes gentes peræquè observantur*, §. Sed naturalia. 11. hic.

31. *Naturalia jura divinâ providentiâ constituta sunt*, §. Sed naturalia. 11. hîc.

32. *Naturalia jura semper firma & immutabilia permanent*, §. Sed naturalia. 11. hîc.

33. *Civilia jura mutabilia sunt*, §. Sed naturalia. 11. hîc.

34 *Omne jus versatur circa personas, res & actiones*, §. Omne autem. 12. hîc.

35. *De personis prius agendum est*, §. Omne autem. 12. hic.

36. *Parum est, jus nosse, si personæ ignorentur*, §. Omne autem. 12. hîc.

37. *Personarum causa jus constitutum est*, §. Omne autem. 12. hîc.

DE JURE PERSONARUM.

TIT. III.

SUmma itaque divisio de jure personarum hæc est, quod omnes homines, aut liberi sunt, aut servi. 1. ¶ Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur. 2. ¶ Servitus autem est constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. 3. ¶ Servi autem ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent, qui etiam mancipia dicti sunt [eò] quòd ab hostibus manu capiuntur. 4. ¶ Servi autem aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris, fiunt aut jure gentium, id est, ex captivitate: aut jure civili, cùm liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est. 5. ¶ In servorum conditione nulla est differentia: in liberis autem multæ, aut enim sunt ingenui, aut libertini.

RE-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0038
DFG

REGULÆ JURIS
ex Tit. III. excerptæ.

1. *A libertate liberi sunt*, §. Et libertas. 1. hic.

2. *Ductu libertatis facere quis potest quodlibet*, §. Et libertas. 1. hic.

3. *Libertatem vis & jus restringunt*, §. Et libertas. 1. hic.

4. *Servitus est juris gentium*, §. Servitus. 2. hic.

5. *Servitute quis dominio alieno contra naturam subjicitur*, §. Servitus 2. hic.

6. *Imperatorum est homines servare*, arg. §. Servi. 3. hic.

7. *Iurisprudentia verba non negligit*, §. Servi autem. 3. hic.

8. *Venditio sui ipsius meritò punitur*, argt. §. Servia. 3. hic.

9. *In servorum conditione nulla est differentia*, §. In servorum. 5. hic.

10. *In liberis hominibus multæ sunt differentiæ*, §. In Servorum. 5. hic.

DE INGENUIS.
Tit. IV.

INgenuus est is, qui statim, ut natus

est, liber est: sive ex duobus ingenuis matrimonio editus est, sive ex libertinis duobus sive ex altero libertino, & altero ingenuo. Sed & si quis ex matre nascitur libera, patre verò servo, ingenuus nihilominus nascitur, quemadmodum qui ex matre libera & incerto patre natus est, quoniam vulgò conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. Et è contrario, si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat: placuit eum, qui nascitur, liberum nasci, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Ex his illud quæsitum est. Si ancilla prægnans manumissa sit: deinde ancilla postea facta peperit: liberum, an servum pariat? Et Martianus probat liberum nasci. Sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem vel medio tempore habuisse, [ut liber nascatur.] Quod & verum est.

1. ¶ Cùm autem ingenuus aliquis natus sit, non officit ei in servitute fuisse, & postea manumissum esse, sæpissimè enim constitutum est, natalibus non officere manumissionem.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. IV. excerptæ.

1. *Ingenuus statim, ut natus est, liber est*, princip. hîc.

2. *Favore libertatis tempus, mox conceptionis, mox partus, mox medium attenditur*, princ. hic.

3. *Non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est*, Princ. hîc.

4. *Sufficit ei, qui in utero est liberam matrem vel medio tempore habuisse*, d. princip. vers. ex his. hîc.

5. *In servitute fuisse, & post manumissum esse, non officit*, §. Cùm autem. 1. h c.

6. *Natalibus non officit manumissio*. d. §. Cùm autem. 1. hîc.

DE LIBERTINIS.
Tit. V.

Libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt. Manumissio autem est de manu datio. Nam quamdiu aliquis in servitute est, manui & potestati suppositus est: & manumissus liberatur potestate. Quæ res à jure gentium originem sumpsit:

utpote cum jure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cùm servitus esset incognita. Sed postquam jure gentium servitus invasit: sequutum est beneficium manumissionis. Et cùm uno communi nomine omnes *homines* appellarentur, jure gentium tria [hominum] genera esse cœperunt: liberi, & his contrarium servi, & tertium genus libertini, qui desierant esse servi.

1. ¶ Multis autem modis manumissio procedit, aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis Ecclesiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epistolam, aut per testamentum, aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem. Sed & aliis multis modis libertas servo competere potest, qui tam ex veteribus, quàm ex nostris constitutionibus introducti sunt. 2. ¶ Servi [verò] à dominis semper manumitti solent: adeò ut vel in transitu manumittantur: veluti cùm prætor, aut præses, aut proconsul in balneum, vel in theatrum eant. 3. ¶ Libertinorum autem status tripertitus antea fuerat. Nam qui manumittebantur, modò majorem & justam libertatem consequebantur, & fiebant cives Romani: modò minorē, & Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modò inferiorē, & fiebant

bant ex lege Ælia Sentia dedititii. Sed quoniam dedititiorum quidem peſſima conditio jam ex multis temporibus in deſvetudinem abierat, Latinorum verò nomen non frequentabatur: ideóque noſtra pietas omnia augere, & in meliorem ſtatum reducere deſiderans, duabus conſtitutionibus hoc emendavit, & in priſtinum ſtatum reduxit: quia & à primis urbis Romæ cunabulis una atque ſimplex libertas competebat: id eſt, eadem, quam habebat manumiſſor: niſi quòd ſcilicet libertinus ſit, qui manumittitur, licet manumiſſor ingenuus ſit. Et dedititios quidem per conſtitutionẽ noſtram expulimus, quam promulgavimus inter noſtras deciſiones: per quas ſuggerente nobis Triboniano viro excelſo quæſtore [noſtro] antiqui juris altercationes placavimus. Latinos autem Junianos & omnem, quæ circa eius fuerat obſervantiam, aliá conſtitutione per eiuſdem quæſtoris ſuggeſtionem correximus, quæ inter Imperiales radiat ſanctiones. Et omnes libertos, nullo nec ætatis manumiſſi, nec domini manumittentis, nec in manumiſſionis modo diſcrimine habito (ſicut jam anteà obſervabatur) civitate Romanâ decoravimus: multis modis additis, per quos poſſit liber-

tas servis cum civitate Romana, quæ sola est in præsenti, præstari.

REGULÆ JURIS ex Tit. V. excerptæ.

1. *Libertinitas servitutem & manumissionem præsupponit.* Princ. hîc.

2. *Quamdiu quis in servitute est, manui & potestati suppositus est*, Princ. vers. manumissio hîc.

3. *Manumissus liberatur potestate*, Princ. v. manumissio. hîc.

4. *Manumissio à jure gentium originem sumpsit*, d. princ. v. Quæ res. hîc.

5. *Iure naturali omnes homines liberi nascebantur*, Princ. v. Quæ res. hîc.

6. *Vbi non est servitus, ibi nec cognita est manumissio*, Princ. v. Quæ res. hîc.

7. *Servitutem secutum est beneficium manumissionis*, Pr. v. Sed postquam. hîc.

8. *Servi à dominis manumitti solent*, §. Servi. 2. hîc.

9. *Iura in desuetudinem deducta non sunt reducenda*, Arg. §. Libertinorum. 3. hîc.

10. *Imperatoris pietas omnia augere, & in meliorem statum reducere desiderat*, Arg. §. Libertinorum. 3. hîc.

11. *A pri-*

11. *A primis urbis Romæ cunabulis una atque simplex libertas fuit*, §. Libertinorum. 3. hîc.

12. *Imperator suos Consiliarios consulere non dedignatur*, arg. §. Libertinorum. 3. ibi suggerente nobis, hîc.

13. *Consiliarii suum consilium Imperatori non denegant*, d. §. Libertinorum. 3. hic.

14. *Omnes liberti hodiè civitate Romanâ decorati sunt*, §. Libertinorum 3. hic.

15. *Antiqui juris altercationes ab Imperatore placandæ sunt*, §. Libertinorum. 3 hîc.

16. *Vnaquæque res ex facili redit ad pristinam suam naturam*, §. Libertinorum 3. hîc.

QVIBVS EX CAUSIS *manumittere non licet.*

Tit. VI.

NOn tamen cuicumq; volenti manumittere licet. Nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem.

1. ¶ Licet autem domino, qui solvendo non est, [in testamento] servum suum cum libertate heredem instituere, ut liber fiat, herésque ei solus & necessarius: si modò ei

nemo alius ex eo testamento heres extiterit: aut quia nemo heres scriptus sit, aut quia is, qui scriptus est qualibet ex causa heres ei non extiterit. Idque eâdem legeælia Sentiâ provisum est, & rectè. Valdè enim prospiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius heres extiturus non esset, vel servum suum necessarium heredem haberêt, qui satisfacturus esset creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hereditarias servi nomine vendant, ne injuriâ defunctus afficiatur. 2. ¶ Idemque juris est, & si sine libertate servus heres institutus est. Quod nostra constitutio non solùm in domino, qui solvendo non est, sed generaliter constituit, novâ humanitatis ratione: ut ex ipsa scriptura institutiones etiam libertas ei competere videatur: quum non sit verisimile, eum quem heredem sibi elegit, si prætermiserit libertatis dationem, servum remanere voluisse, & neminem sibi heredem fore.

3. ¶ In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, solvendo non est: vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse. Prævaluisse tamen videtur (nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit) non impediri libertatem, quamvis bona [eius] creditori-

toribus non ſufficiant. Sæpè enim de facultatibus ſuis amplius, quàm in his eſt, ſperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, cùm utroque modo fraudantur creditores, id eſt, & conſilio manumittentis, & ipſâ re, eò quòd eius bona non ſunt ſuffectura creditoribus.

4. ¶ Eâdem lege ælia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, quàm ſi vindicta apud conſilium, juſta cauſa manumiſſionis adprobata, fuerint manumiſſi. 5. ¶ Juſtæ autem manumiſſionis cauſæ hæ ſunt: veluti, Si quis patrem aut matrem, filium filiámve, aut fratres ſororésve naturales, aut pædagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut alumnum alumnámve, aut collactaneum manumittat: aut ſervum, procuratoris habendi gratiâ: aut ancillam matrimonii [habendi] cauſa: dum tamen intra ſex menſes in uxorem ducatur, niſi juſta cauſa impediat; & [ſervus] qui manumittitur procuratoris habendi gratiâ, non minor decem & ſeptem annis manumittatur. 6. ¶ Semel autem cauſa adprobata, ſive vera ſit, ſive falſa, non retractetur. 7 ¶ Cùm ergò certus modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per legem ælíam Sentiam conſtitutus eſſet: eveniebat, ut

qui

qui quatuordecim annos expleverat, licet testamentum facere, & in eo sibi heredem instituere, legatáque relinquere posset: tamen si adhuc minor esset viginti annis, libertatem servo dare non posset. Quod non erat ferendum. Nam cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat: quare non similiter ei, quemadmodum alias res, ita de servis suis in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, ut & libertatem eis possit præstare? Sed quum libertas inæstimabilis res sit, & propter hoc ante XX. ætatis annum antiquitas libertatem servo dare prohibebat: ideo nos mediam quodammodo viam eligentes, Non aliter minori viginti annis libertatem in testamento dare servo suo concedimus, nisi decimum septimum annum impleverit, & decimum octavum attigerit. Quum enim antiquitas huiusmodi ætati, & pro aliis postulare concesserit: cur non etiam sui judicii stabilitas ita eos adjuvare credatur, ut ad libertatem dandam servis suis possint pervenire?

REGULÆ JURIS
ex Tit. VI. excerptæ.

1. *Non cuicunque manumittere volenti licet,* Princ. hic.

2. *Qui*

2. *Qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit*, Pr. hîc.

3. *Lex AElia Sentia impedit libertatem, cùm quis in fraudem creditorum manumittit*, Princ. hîc.

4. *Licet domino, qui ſolvendo non eſt, in teſtamento ſervum ſuum cum libertate hæredem inſtituere, ſi modò hæres alius non adſit*, §. licet. 1. hîc.

5. *Servus teſtamento inſtitutus heres eſt neceſſarius*. §. Licet. 1. hîc.

6. *Egentibus hominibus proſpiciendum eſt*, §. Licet. 1. hic.

7. *Prodeſt heredem habere neceſſarium, qui ſatisfaciat creditoribus*, §. Licet. 1 hîc.

8. *Servo herede inſtituto, res hereditariæ, ſi ipſe non ſolvat, ſervi nomine divendendæ ſunt*, §. Licet. 1. hîc.

9. *Defunctus injuriâ non eſt afficiendus*, §. Licet. 1. hîc.

10. *Heres ſine mentione libertatis inſtitutus, tamen ſit liber*, §. Idemq;. 2. hîc.

11. *Favores ampliandi ſunt*, arg. §. Idemq;. 2. hîc.

12. *Humanitatis ratio in condendis conſtitutionibus ſemper attendenda eſt*. §. Idemq;. 2. hîc.

13. *Ex ipſa ſcriptura inſtitutionis libertas etiam competit*, §. Idemq;. 2. hîc.

14. Non

14. *Non est verisimile, dominum eum, quem heredem sibi elegit, servum remanere voluisse, & neminem sibi heredem fore*, §. Idemq; 2. hic.

15. *In fraudem manumittit, qui consilio, hoc est, animo fraudandi, & re, Quia eius bona non sunt sufectura creditoribus, manumittit*, §. In fraudem. 3. hic.

16. *Valet data libertas, quamvis bona creditoribus non sufficiant*, §. In fraudem. 3. hic.

17. *Sæpius in facultatibus suis amplius, quàm in his est, sperant homines*, §. In fraudem. 3. hic.

18. *A domino vigenti annis minore causa probanda est, vi legis AEliæ Sentiæ*, §. Eâdem. 4. hic.

19. *Benemeritis etiam beneficia præstanda sunt*, arg. §. Justæ. 5. hic.

20. *Manumissionis causa semel approbata non est retractanda*, §. Semel. 6. hic.

21. *Cui plus licet, etiam minus licet*, §. Cùm ergò. 8. hic.

22. *Cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data est, cur non de servis in ultima voluntate disponere ut voluerit, etiam potuerit?* §. Cùm ergò. 7. hic.

23. *Libertas inæstimabilis res est*, §. Cùm ergò, 7. hic.

24. In

24. *In decisionibus media via ineunda est*, §. Cùm ergò. 7. hic.

25. *Qui potest pro aliis postulare, utique & de suis rebus liberè disponere poterit.* §. Cùm ergò. 7. hic.

DE LEGE FUSIA CANINIA tollenda.

TIT. VII.

LEge Fusiâ Caniniâ certus modus constitutus erat in servis testamento manumittendis: quam, quasi libertates impedientem, & quodammodo invidam, tollendam esse censuimus: quum satis fuerat inhumanum, vivos quidem licentiam habere totam suam familiam libertate donare, nisi alia eam impediant libertatem: morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.

REGULÆ JURIS ex Tit. VII. excerptæ

1. *Libertates non sunt impediendæ*, hic.
2. *Invidia non est admittenda*, hic.
3. *Inhumanum est, vivos totam familiam libertate*

tate posse donare: morientibus huiusmodi licentiam adimere, hîc.

DE HIS, QUI SUI, VEL alieni sunt juris.

TIT. VIII.

SEquitur de jure personarum alia divisio. Nam quædam personæ sui juris sunt, quædam alieno juri subjectæ. Rursus earum, quæ alieno juri subjectæ sunt, Aliæ sunt in potestate parentum, aliæ in potestate dominorum. Videamus itaque de his, quæ alieno juri subjectæ sunt. Nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt: simul intelligemus, quæ sui juris sunt, ac prius inspiciamus de his, quæ in potestate dominorum sunt.

1. ¶ In potestate itaque dominorum sunt servi. Quæ quidem potestas, juris Gentium est. Nam apud omnes peræq; gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ, necisque potestatem fuisse: & quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiri.

2. ¶ Sed hoc tempore nullis hominibus, qui

qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita, in servos suos [supra modum] sævire. Nam ex constitutione divi Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minùs puniri jubetur, quàm qui alienum servum occiderit. Sed & major asperitas dominorum, eiusdem Principis constitutione coerceturi nam [Antoninus] consultus à quibusdam præsidibus provinciarum de his servis, qui ad ædem sacram, vel ad statuam Principum confugiunt, præcepit, ut si intolerabilis videatur sævitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur, & rectè, expedit enim Reipublicæ, ne suâ re quis malè utatur. Cuius rescripti ad Ælium Martianum emissa verba sunt hæc: Dominorum quidem potestatem in servos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum jus suum detrahi. Sed dominorum interest, ne auxilium contra sævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur. Ideòque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad statuam confugerunt. Et si vel durius habitos, quàm æquum est, vel infami injuriâ adfectos esse cognoveris: venire jube, ita ut in potestatem domini non revertantur. Quòd si meæ constitutioni fraudem

dem fecerit, sciat me hoc admissum severiùs executurum.

REGULÆ JURIS ex Tit. VIII. excerptæ.

1. *Cognito uno relatorum, & alterum facilè cognosci potest*, Pr. hîc.

2. *Potestas dominorum in servos est juris gentium*, §. In potestate. 1. hîc.

3. *Apud omnes gentes peræquè animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisq; potestatem fuisse*, §. In potestate. 1. hîc.

4. *Quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiritur*, §. In potestate. 1. hîc.

5. *Hodiè non licet in servos supra modum sævire* §. Sed hoc tempore. 2. hîc.

6. *Si intolerabilis fuerit servitus, vendant domini suos servos bonis conditionibus*, §. Sed hoc tempore. 2. hîc.

7. *Expedit Reip. ne quis suâ re malè utatur*, §. Sed hoc tempore. 2. hîc.

8. *Dominorum potestatem in servos illibatam esse oportet*, §. Sed hoc tempore. 2. hîc.

9. *Dominorum interest, ne auxilium contra injuriam denegetur iis, qui justè deprecantur*, §. Sed hoc tempore. 2. hîc.

De

DE PATRIA POTESTATE.

TIT. IX.

IN potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex justis nuptiis procreavimus. 1. ¶ Nuptiæ autem, sive matrimonium, est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. 2. ¶ Jus autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est civium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.

3. ¶ Qui igitur ex te & uxore tua nascitur, in tua potestate est, Item qui ex filio tuo & uxore ejus nascitur, id est, nepos tuus & neptis, æquè in tua sunt potestate: & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.

REGULÆ JURIS ex Tit. IX. excerptæ.

1. *Justæ nuptiæ faciunt, ut liberi sint in nostrâ potestate*, Princ. hîc.

2. *Nuptiæ virum ac mulierem conjungunt*, §. Nuptiæ. 1. hîc.

3. *Nuptiæ individuam vitæ consuetudinem continent*, d. §. Nuptiæ. 1. hic.

4. *Ius patriæ potestatis proprium est Romanorum*, §. Jus autem. 2. hîc.

5. *Non sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem Romani habent*, §. Jus autem. 2. hîc.

6. *Et filius, & nepos, & pronepos &c. in patris potestate est*, d. §. Jus a. 2. hîc.

7. *Qui ex filia nostra nascitur, non est in potestate nostrâ, sed in patris sui*, §. Qui igitur. 3. hîc.

DE NUPTIIS.

TIT. X.

JUstas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viri potentes, sive patresfamiliarum sint, sive filiifamiliarum: dum tamen si filiifamiliarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio suadet: in tantum, ut jussus paren-

rentis præcedere debeat. Unde quæsitum est, an furiosi filia nubere, aut furiosi filius uxorem ducere possit: cúmque super filio variabatur, nostra processit decisio, quâ permissum est ad exemplum filiæ furiosi, filium quoque [furiosi] posse & sine patris interventu matrimonium sibi copulare, secundum datum ex nostra constitutione modum.

1. ¶ Ergò non omnes nobis uxores ducere licet. Nam à quorundam nuptiis abstinendum est. Inter eas enim personas, quæ parentum liberorúmve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt: veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & usque in infinitum. Et si tales personæ inter se coierint: nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et hæc adeò vera sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorúmve loco sibi esse cœperunt, non possint inter se matrimonio jungi: in tantum, ut etiam dissolutâ adoptione, idem juris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia vel neptis esse cœperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.

2. ¶ Inter eas quoque personas, quæ ex

transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sanè enim inter fratrem sororémque nuptiæ prohibitæ sunt, sive ab eodem patre eadémque matre nati fuerint, sive ex altero eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit: quandiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt. Cùm verò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed & si tu emancipatus fueris, nihil est impedimento nuptiis. Et ideò constat, si quis generum adoptare velit, debere eum antea filiam suam emancipare: & si quis velit nurum adoptare, debere eum antea filiũ suum emancipare.

3. Fratris verò, vel sororis filiam, uxorem ducere non licet, sed nec neptem fratris vel sororis quis ducere potest, quamvis quarto gradu sint. Cuius enim filiam uxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur. Eius verò mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri uxorem ducere: quia neq; naturali, neq; civili jure tibi conjungitur.

4. ¶ Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris & sororis, conjungi possunt.

5. ¶ Item

5. ¶ Item amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet, item nec materteram: quia parentum loco habentur. Quâ ratione verum est, magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi uxorem ducere. 6. ¶ Adfinitatis quoque veneratione, à quarundam nuptiis abstinere necesse est, ut ecce privignam aut nurum uxorem ducere non licet: quia utræque filiæ loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus aut privigna tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, aliâ ratione uxorem eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc privigna tua est, id est, si mater eius tibi nupta est, ideò eam uxorem ducere non poteris, quia duas uxores eodem tempore habere non licet.

7. ¶ Socrum quoque & novercam prohibitum est uxorem ducere: quia matris loco sunt. Quod & ipsum dissolutâ demum adfinitate procedit. Alioquin si adhuc noverca est, id est, si adhuc patri tuo nupta est, communi jure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia eius tibi nupta est, ideò impediuntur tibi nuptiæ, quia duas uxores habere non potes.

8. ¶ Mariti tamen filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito, vel contrà, matrimonium rectè contrahunt: licet habeant fratrem sororémve ex matrimonio postea contracto natos.

9. ¶ Si uxor tua post divortium ex alio filiam procreaverit: hæc non est quidem privigna tua: Sed Julianus ab huiusmodi nuptiis abstinere debere ait. Nam constat nec sponsam filii nurũ esse, nec patris sponsam novercam esse: rectius tamen, & jure facturos eos, qui ab huiusmodi nuptiis abstinuerint. 10. ¶ Illud certum est, serviles quoque cognationes impedimento nuptiis esse: si forte pater & filia, aut frater & soror manumissi fuerint. 11. ¶ Sunt & aliæ personæ, quæ propter diversas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum, seu Pandectarum ex vetere jure collectarum, enumerari permisimus.

12. ¶ Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint: nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ii, quos mater vulgò concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, cùm & his pater

ter incertus sit. Unde solent spúrii appellari ἀπὸ τὴν ἀπορίαν i. e. à satione, & ἀσπάτωρες, quasi sine patre filii. Sequitur ergò, ut dissoluto tali coitu nec dotis, nec donationis exactioni locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ sacris constitutionibus continentur.

13. ¶ Aliquando autem evenit, ut liberi, qui statim, ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem patris: qualis est is, qui dum naturalis fuerat, postea curiæ datus potestati patris subjicitur: nec non is, qui à muliere libera procreatus, cujus matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione dotalibus instrumentis compositis, in potestate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra constitutio præbuit.

REGULÆ JURIS
ex Tit. X. excerptæ.

1. *Iustas nuptias cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta coëunt*, Pr. hic.

2. *Lex est norma justarum nuptiarum*, Princ. hic.

3. *In nuptiis filiorumfamilias consensus parentum, quorum in potestate sunt, requiritur*, Princ. hic.

4. *Quod ratio civilis & naturalis suadet, id omninò justum est*, Pr. hic.

5. *In nuptiis filiorumfamilias, jussus parentis præcedere debet*, d. pr, hic.

6. *Ad exemplum filiæ furiosi sine consensu patris furiosi rectè matrimonium contrahit furiosi filius*, Princ. hic.

7. *A quarundam nuptiis abstinendum est*, §. Ergò. 1. hic.

8. *Inter eas personas, quæ parentum liberorúmve locum obtinent, inter se, contrahi nuptiæ non possunt*, p. §. Ergò. 1. hic.

9. *Vsque adeò, ut adoptione dissolutâ eadem juris maneat*, d. §. Ergò. 1. hic.

10. *Inter fratrem sororémve nuptiæ prohibitæ sunt*, §. Inter eas. 2. hic

11. *Cuius filiam uxorem ducere non licet, neque eius neptem permittitur*, §. Fratris. 3. hic.

12. *Quæ parentum loco habentur, in uxores duci non possunt*, §. Item amitam. 5. hic.

13. *Adfinitatis veneratione à quorundam nuptiis abstinendum est*, §. Adfinitatis. 6. hic.

14. *Eadem duobus nupta esse non potest*, §. Adfinitatis 6. hic. & §. Socrum. 7. hic.

15. *Duas*

15. *Duas uxores eodem tempore habere non licet*, §. Adfinitatis. 6. hîc.

16. *In nuptiis honestas vel maximè spectanda*, arg. § Si uxor. 9. hîc.

17. *Serviles cognationes etiam nuptiis impedimento sunt*, §. Illud certum. 10. hîc.

18. *Si qui contra præcepta legum coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur*, §. Si adversus. 12. hîc.

19. *Qui ex illicito coitu nascuntur, in potestate patris non sunt, sed pro spuriis habentur*, §. Si adversus. 12. hîc.

20. *Vnde dissoluto tali coitu nec dotis nec donationis exactioni locus est*, d. §. Si adversus. 12. hîc.

21. *Qui prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas incurrunt*, §. Si adversus. 12. hîc.

22. *Quidam liberi, qui ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea in eam rediguntur*, §. final. hîc.

DE ADOPTIONIBVS.

TIT. XI.

NOn solùm autem naturales liberi, secundùm ea, quæ diximùs, in potestate

ſtate noſtrâ ſunt: verumetiam ii, quos adoptamus. 1. ¶ Adoptio autem duobus modis fit: Aut principali reſcripto, aut imperio magiſtratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis poteſt eos eásve, qui quæve ſui juris ſunt, quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magiſtratus adoptamus eos eásve, qui quæve in poteſtate parentum ſunt, ſivé primum gradum liberorum obtineant: qualis eſt filius, filia: ſive inferiorem, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis.

2. ¶ Sed hodiè ex noſtra conſtitutione, cùm filius familias à patre naturali extraneæ perſonæ in adoptionem datur: jura patris naturalis minimè diſſolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum tranſit, nec in poteſtate eius eſt, licet ab inteſtato jura ſucceſſionis ei à nobis tributa ſint. Si verò pater naturalis non extraneo, ſed avo filii ſui materno, vel ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo vel proavo ſimili modo paterno vel materno filium ſuum dederit in adoptionem: in hoc caſu, quia concurrunt in unam perſonam, & naturalia & adoptionis jura, manet ſtabile jus patris adoptivi, & naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo conſtitutum: ut & in familia,

lia, & in potestate huiusmodi patris adoptivi sit. 3. ¶ Cùm autem impubes per principale rescriptum adrogatur, causâ cognitâ adrogatio fieri permittitur, & exquiritur causa adrogationis, an honesta sit, expediátq; pupillo. Et cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, id est, ut caveat adrogator personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, ad successionem eius venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi causâ cognitâ dignus emancipatione fuerit, & tunc sua bona ei reddat. Sed & si decedens pater eum exheredaverit, vel vivus sine justa causa emancipaverit: jubetur quartam partem ei bonorum suorum relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptivum transtulit, & quorum commodum ei postea acquisivit.

4. ¶ Minorem natu: majorem non posse adoptare placet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monstro est, ut major sit filius, quàm pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plenâ pubertate, id est, decem & octo annis præcedere. 5. ¶ Licet autem & in locum nepotis vel neptis, pronepotis vel proneptis vel deinceps adoptare, quamvis filium quis non habeat.

6. ¶ Et

6. ¶ Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii. 7. ¶ Sed si quis nepotis loco adoptet, vel quasi ex filio, quem habet jam adoptatum: vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet: eo casu & filius consentire debet, ne ei invito suus heres adgnascatur, sed ex contrario, si avus ex filio nepotem det in adoptionem, non est necesse filium consentire.

8. ¶ In plurimis autem causis adsimilatur is, qui adoptatus vel adrogatus est ei, qui ex legitimo matrimonio natus est, & ideò, si quis per Imperatorem vel apud prætorem, vel præsidem provinciæ non exraneum adoptaverit, potest eundem in adoptionem alii dare. 9. ¶ Sed & illud utriúsque adoptionis commune est, quòd & ii, qui generare non possunt, (quales sunt spadones) adoptare possunt. [Castrati autem non possunt.]

10. ¶ Fœminæ quoque adoptare non possunt: quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia Principis ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt. 11. ¶ Illud proprium est adoptionis illius, quæ per sacrum oraculum fit, quòd is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solùm ipse potestati adro-

adrogatoris subjicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate tanquam nepotes. Sic etenim divus Augustus non antè Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum adoptasset: ut protinus adoptione factâ, inciperet Germanicus Augusti nepos esse.

12. ¶ Apud Catonẽ benè scriptũ refert antiquitas, Servos, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso posse liberari. Unde & nos eruditi, in nostra constitutione etiam eum servum, quem dominus actis intervenientibus filium suum nominaverat, liberum esse constituimus: licet hoc ad jus filii accipiendum non sufficiat.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XI. excerptæ.

1. *Adoptio facit, ut naturales liberi in potestate nostra sint*, Princ. hîc.

2. *Non arrogantur, nisi qui sui juris sunt*, §. adoptio. 1. hic.

3. *Non adoptantur, nisi qui in potestate parentum sunt*, d. §. Adoptio. 1. hîc.

4. *Cùm filiusfamilias à patre naturali extraneæ personæ in adoptionem datur, jura patris naturalis minimè dissolvuntur*, d. §. Adoptio. 1. hîc.

§. Ad

5. *Ad personam extraneam nihil, quod adoptati fit, transit*, d. §. Adoptio. 1. hîc.

6 *Adoptatus ab extraneo jura ab intestato succedendi habet*, d. §. Adopt. 1. hîc.

7. *Adoptatus ab extraneo, non est in eius potestate*, d. Adopt. 1. hîc.

8. *Adoptatus ab avo materno in familia, & in potestate patris huius adoptivi est*, §. Sed hodiè. 2. hîc.

9. *Iura duplicata magis ligant*, d. §. Sed hodiè. 2. hîc.

10. *Impubes quum arrogatur, causa arrogationis inquirenda est, ipsiq; cavendum*, §. Cùm aut. 3. hîc.

11. *Impuberem non aliter emancipare potest arrogator, nisi causâ cognitâ dignus emancipatione fuerit*, d. §. Cùm autem. 3. hîc.

12. *Minor natu non potest adoptare majorem*, §. Minorem. 4. hîc.

13. *Nam adoptio naturam imitatur*, d. §. Minorem. 4. hîc.

14. *Pro monstro est, ut major sit filius, quàm pater*, d. §. Minorem. 4. hîc.

15. *Si quis nepotis loco adoptet, filius consentire debet*, §. Sed si. 7. hîc.

16. *Invito non debet adnasci heres*, d. §. Sed si. 7. hîc.

17. *Si quis non extraneum adoptaverit, potest eun-*

eundem in adoptionem alii dare, §. In plurimis. 8. hîc.

18. *Qui generare non possunt, nec adoptare possunt*, §. Sed & ii. 9. hîc,

19. *Fœminæ adoptare non possunt*, §. Fœminæ. 10. hîc.

20. *Fœminæ naturales liberos in potestate non habent*; d. §. Fœminæ. 10. hîc.

21. *Qui liberos in potestate habet, si se arrogandum dederit, non solum ipse arrogatoriæ potestati subjicitur, sed & liberi sunt in eius potestate*, §. Illud. 11. hîc.

22. *Et exemplis quandóque judicandum est*, d. § Illud. 11. hîc.

23. *Et antiquitas audienda est*, §. final. hîc.

24. *Servi, si à domino adoptati sint, ex hoc ipso liberantur*, §. fin. hîc.

25. *Servus quem dominus actis intervenientibus filium nominavit, liber fit* §. fin. hîc.

26. *Servus, etiamsi filius nominatus sit, jus filii tamen propterea non consequitur*, d. §. final. hîc.

QVIBUS MODIS JUS patriæ potestatis solvitur.

TIT. XII.

VIdeamus nunc, quibus modis ii, qui alieno juri sunt subjecti, eo jure liberentur. Et quidem, quemadmodum liberentur servi à potestate dominorum, ex iis intelligere possumus, quæ de servis manumittendis superius exposuimus. Hi verò, qui in potestate parentis sunt, mortuo eo, sui juris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. Nam mortuo patre, sanè omni modo filii filiæve sui juris efficiuntur. Mortuo verò avo, non omninò nepotes neptésq; sui juris fiunt: sed ita si post mortem avi in potestatem patris sui recasuri non sunt. Itaque si moriente avo pater eorum vivit, & in potestate patris sui est, tunc post obitum avi in potestate patris sui fiunt. Si verò is, quo tempore avus moritur, aut jam mortuus est, aut per [emancipationem] exit de potestate patris: tunc ii, qui in potestatem eius cadere non possunt, sui juris fiunt. 1. ¶ Cùm autem is, qui ob aliquod maleficium in insulam deportatur, civitatem amittit: sequitur, ut qui eo modo ex numero civium Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo, desinant liberi in potestate eius esse. Pari ratiõe & si is, qui in potestate parentis sit, in insulâ deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis. Sed si ex indulgentia

Prin-

Principis restituti fuerint: per omnia pristinum statum recipiunt 2. ¶. Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati, in potestate parentum remanent. 3. ¶ Pœnæ servus effectus filios in potestate habere desinit. Servi autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui bestiis subjiciuntur.

4. ¶ Filius familias si militaverit, vel si Senator, vel Consul factus fuerit: remanet in potestate patris. Militia enim, vel consularis dignitas de patris potestate filium non liberat. Sed ex constitutione nostra summa Patriciatus dignitas illico, imperialibus Codicillis præstitis, filium à patria potestate liberat. Quis enim patiatur patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suæ nexibus filium liberare: Imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate.

5. ¶ Si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen pendet jus liberorum propter jus postliminii: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia pristina jura recipiunt. Idcirco reversos etiam liberos habebit in po-

testate, quia postliminium fingit eum, qui captus est, in civitate semper fuisse: Si verò ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse videtur. Ipse quoque filius, nepósve; si ab hostibus captus fuerit: similiter dicimus propter jus Postliminii, jus quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem Postliminium à limine, & post. Unde eum, qui ab [hostibus captus est, &] in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum rectè dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quendam faciunt: sic & imperii finem esse limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum est, quasi finis quidam & terminus ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen revertebatur, quod amiserat. Sed & qui captus victis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur.

6. ¶ Præterea emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam legis observationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebrabatur, vel ex imperiali rescripto. Nostra autem providentia etiam hoc in melius per constitutionem reformavit: ut fictione pristina explosa, recta via ad competentes judices vel magistratus, parentes

tes intrent: & filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps à sua manu dimittant. Et tunc ex edicto prætoris in bonis huiusmodi filii vel filiæ, vel nepotis, vel neptis, qui quæve à parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem jura præstantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea si impubes sit filius, vel filia vel cæteri, ipse parens ex manumissione tutelam eius nanciscitur.

7. ¶ Admonendi autem sumus liberum arbitriũ esse ei, qui filium, & ex eo nepotem vel neptem in potestate habebit: filium quidem de potestate dimittere: nepotem verò vel neptem retinere. Et è converso filium quidem in potestate retinere, nepotem verò vel neptem manumittere, vel omnes sui juris efficere. Eadem & de pronepote & pronepte dicta esse intelligantur.

8. ¶ Sed & si pater filium, quem in potestate habet, avo vel proavo naturali secundũ nostras constitutiones super his habitas, in adoptionem dederit, id est, si hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem judicem manifestaverit, præsente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo [præsente,] qui adoptat: solvitur quidem jus potestatis patris naturalis: transit autem

in huiusmodi parentem adoptivum, in cuius persona & adoptionem esse pleniſſimam, anteâ diximus.

9. ¶ Illud autem scire oportet, quòd si nurus tua ex filio tuo conceperit, & filium postea emancipaveris, vel in adoptionem dederis, prægnante nuru tuâ: nihilominus quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quòd si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit: patris sui emancipati, vel avi adoptivi potestati subjicitur. 10. ¶ Et quidem neq; naturales liberi, neque adoptivi ullo penè modo possunt cogere parentes, de potestate sua eos dimittere.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XII. excerptæ.

1. *Vno contrariorum exposito & alterum exponendum est*, princ. hîc.

2. *Quod alligatum est, & illud iterum solvi potest*, Pr. & tot. tit. hîc.

3. *Qui in potestate parentis sunt, eo mortuo, liberantur*, Princ. hic. *ubi tamen distinctio locum habet, ut est in textu.*

4. *Deportatus amittit civitatem*, §. Cùm autem 1. hîc.

5. *Parens deportatus amittit suam in liberos potestatem*, §. Cùm autem 1. hîc.

6. Fi-

6. *Filius deportatus desinit esse in potestate patris*, d. §. Cum autem. 1. hîc.

7. *Relegatus parens in potestate liberos retinet* §. Relegati. 2. hîc.

8. *Relegatus filius in potestate parentis remanet*, d. §. Relegati. 2. hîc.

9. *Pœnæ servus effectus filios in potestate habere desinit*, §. Pœnæ. 3. hîc.

10. *Militia vel consularis dignitas de patris potestate filium non liberat*, §. Filiusfamilias. 4. hîc.

11. *Patriciatus dignitas filium à patriâ potestate liberat*, d. §. Filiusf. 4. hîc.

12. *Si pater per emancipationem potest filium potestatis suæ nexibus liberare, multò magis Imperator eum quem sibi patrem elegit, ab aliena poterit eximere potestate*, d. §. Filiusf. 4. hîc.

13. *Capto ab hostibus patre pendet jus potestatis propter jus postliminii*, §. Si ab hostibus. 5. hîc.

14. *Qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint omnia pristina jura recipiunt*, d. §. Si ab hostib. 5. hîc.

15. *Nec voces negligendæ sunt*, arg. d. §. Si ab hostibus. 5. hîc. vers. Dictum est postliminium.

16. *Emancipatione desinunt liberi in potestate parentum esse*, §. Præterea. 6. hîc.

17. *In manumissi bonis eadem jura præstantur parenti, quæ patrono in bonis liberti*, d. §. Præter. 6. hîc.

18. *Si impubes sit filius, parens ex manumissione tutelam eius nanciscitur*, d. §. Præterea. 6. hîc.

19. *Pater sua è potestate dimittere potuerit, quem voluerit*, §. Admonendi. 7. hîc.

20. *Datus in adoptionem avo vel proavo naturali in eius transit potestatem*, §. Sed &. 8. hîc.

21. *Conceptus à nuru ante emancipationem filii in parentis est potestate*, §. Illud autem. 9. hîc.

22. *Conceptus post emancipationem patris sui emancipati potestati subjicitur*, d. §. Illud autem. 9. hîc.

23. *Parentes togi non possunt à liberis, ut illos sua è potestate dimittant*, §. fin. hîc.

DE TUTELIS.

TIT. XIII.

TRanseamus nunc ad aliam divisionem personarum. Nam ex his personis, quæ in potestate non sunt, quædam vel in tutela sunt, vel in curatione, quædam neutro

tro jure tenentur. Videamus ergò de his, quæ in tutela vel in curatione sunt. Ita enim intelligemus cæteras personas, quæ neutro jure tenentur. Ac prius dispiciamus de his, qui in tutela sunt.

1. ¶ Est autem tutela (ut Servius definivit) vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa. 2. ¶ Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsâ re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. 3. ¶ Permissum est itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in potestate habent testamento tutores dare. Et hoc in filios filiásque procedit omnimodo. Nepotibus vero neptibúsque ita demum parentes possunt testamento tutores dare, si post mortem eorum in potestatem patris sui non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mortis tuæ tempore in potestate tua sit: nepotes ex [eo] non poterunt ex testamento tuo tutores habere, quamvis in potestate tua fuerint: scilicet quia mortuo te, in potestatem patris sui recasuri sunt.

4. ¶ Cùm autem in compluribus aliis causis posthumi pro jam natis habeantur,

& in hac causa placuit non minus posthumis quàm jam natis testamento tutores dari posse. Si modò in ea causa sint, ut si vivis parentibus nascerentur, sui [heredes,] & in potestate eorum fierent. 5. ¶ Sed & si emancipato filio tutor à parte datus fuerit testamento: confirmandus est ex sententia præsidis omni modo, id est, sine inquisitione.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XIII. excerptæ

1. *Expeditis prioribus ad subsequentia transeundum est*, princ. hîc.

2. *Contrariorum uno cognito & alterum facilè cognoscitur*, princ. hîc.

3. *Tutela caput requirit liberum*, §. Tutela. 1. hîc.

4. *Tutela ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, à jure civili inventa est*, d. §. Tutela. 1. Inst. h. c.

5. *Permissum est parentibus liberis impuberibus, quos in potestate habent, testamento tutores dare*, §. Permissum est. 3. h. c.

6. *Qui mortuo te in potestatem patris sui recasuri sunt, à te testamento tutores habere non possunt*, d. §. Permissum est. 3. hîc.

7. Post.

7. *Posthumi in compluribus causis pro jam natis habentur*, §. Cùm autem. 4. hic.

8. *Et posthumis testamento tutores dari possunt*, §. Cùm autem. 4. h. c.

9 *Emancipato filio tutor à patre datus ex sententia præsidis confirmandus est sine inquisitione*, §. fin. hic.

QVI TESTAMENTO *tutores dari possunt.*

TIT. XIV.

DAri autem tutor potest testamento non solùm paterfamilias, sed etiam filiusfamilias.

1. ¶ Sed & servus proprius testamento cum libertate rectè tutor dari potest. Sed sciendum est, eum & sine libertate tutorem datum, tacitè libertatem directam accepisse videri, & per hoc rectè tutorem esse. Planè si per errorem, quasi liber, tutor datus sit aliud dicendum est. Servus autem alienus purè inutiliter testamento datur tutor: sed ita, *cùm liber erit*, utiliter datur, proprius autem servus inutiliter eo modo tutor datur.

2. ¶ Fu-

2. ¶ Furiosus, vel minor viginti quinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cùm compos mentis, aut major viginti quinque annis fuerit factus. 3. ¶ Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante heredis institutionem posse dari tutorem, non dubitatur.

4. ¶ Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest, quia personæ, non causæ vel rei [tutor] datur. 5. ¶. Si quis filiabus suis vel filiis tutores dederit: etiam posthumæ vel posthumo dedisse videtur: quia filii vel filiæ appellatione & posthumus & posthuma continentur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? Dicendum est, ut & ipsis quoque dati videantur: si modò liberos dixerit. Cæterum si filios: non continebuntur. Aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Planè si posteris dederit: tam filii posthumi, quàm cæteri liberi continebuntur.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XIV. excerptæ

1. *Testamento potest dari tutor & paterfamilias & filiusfamilias*, Pr. hîc.

2. *Servus proprius testamento cum libertate rectè*

rectè tutor datur, §. Sed & servus proprius. 1. hîc.

3. *Tacitè sine libertate tutor datus, libertatem consequitur, & tutor fit*, §. Sed & servus, 1. hîc.

4. *Per errorem quasi liber, servus tutor datus, tutor non fit*, d. §. Sed & serv. 1. hîc.

5. *Servus alienus purè inutiliter testamento tutor datur*, d. §. Sed & servus. 1. hîc.

6. *Tutor sub conditione datus, eâ completâ demùm fit tutor*, §. Furiosus. 2. hîc. *ut exemplum in furioso & minore.*

7. *Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione tutor dari potest*, §. ad certum. 6. hîc.

8. *Rei tutor non datur*, §. Certæ. 7. hîc.

9. *Personæ, non rei datur tutor*, d. §. Certæ. 7. hîc.

10. *Nomine filiorum aut filiarum etiam posthumi & posthumæ continentur*, §. si quis filiabus. 8. hîc.

11. *Appellatione liberorum & nepotes continentur*, d. §. fin. hîc.

12. *Appellatione posterorum tàm posthumi, quàm cæteri liberi continentur*, d. §. final. hîc.

DE

DE LEGITIMA ADgnatorum tutela.

TIT. XV.

QVibus autem testamento tutor datus non est: his ex lege duodecim tabularum adgnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

1. ¶ Sunt autem adgnati [cognati] per virilis sexus cognationem conjuncti, quasi à patre cognati: veluti frater [ex] eodem patre natus, fratris filius nepósve ex eo. Item patruus & patrui filius, nepos neposve ex eo. At qui per fœminini sexus personas cognatione junguntur, adgnati non sunt: sed alias naturali jure cognati. Itaque amitæ tuæ filius non est tibi adgnatus, sed cognatus: & invicem tu illi eodem jure conjungeris: quia qui [ex ea] nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

2. ¶ Quod autem [lex duodecim tabularum] ab intestato vocat ad tutelam adgnatos: non hanc habet significationem, si omninò non fecerit testamentum is, qui poterat tutores dare: sed si quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit. Quod tunc quoq; accidere intelligitur, cùm is, qui datus est tutor vivo testatore decesserit.

3. ¶ Sed

3. ¶ Sed adgnationis quidem jus omnibus modis capitis deminutione plerunque perimitur: Nam adgnatio juris [civilis] nomen est: cognationis verò jus non omnibus modis commutatur: quia civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia verò non utique.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XV. excerptæ.

1. *Quibus testamento tutor datus non est, his ex l. 12. tab. agnati sunt tutores*, pr. h. c.

2. *Agnati per virilis sexus cognationem conjunguntur*. §. Sunt autem. 1. h. c.

3. *Cognati patris, non matris familiam sequuntur*, d. §. Sunt autem. 1. h. c.

4. *Agnationis jus omnibus modis capitis deminutione plerunque perimitur*, §. Sed agnationis. 3. hic.

5. *Agnatio juris civilis nomen est*, d. §. Sed agnationis. 3 hic.

6. *Cognationis jus non omnibus capitis deminutionis modis commutatur*, §. fin. h. c.

7. *Civilis ratio civilia jura corrumpere potest*, d. §. fin. h. c.

8. *Civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest*, d. §. fin. h. c.

DE

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

TIT. XVI.

EST autem capitis deminutio, status mutatio. Eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio, aut minor, (quam quidam mediam vocant) aut minima.

1. § Maxima capitis deminutio est, cùm aliquis simul & civitatem & libertatem amittit. Quod accidit in his, qui servi pœnæ efficiuntur atrocitate sententiæ: vel libertis ut ingratis erga patronos condemnatis: [vel his,] qui se ad pretium participandum venundari passi sunt. 2. ¶ Minor sive media capitis deminutio est, cùm civitas quidem amittitur, libertas verò retinetur, quod accidit ei, cui aqua & igni interdictum fuerit: vel ei, qui in insulam deportatus est.

3. ¶ Minima capitis deminutio est, cùm civitas retinetur & libertas, sed status hominis commutatur. Quod accidit in iis, qui, cùm sui juris fuerint, cœperunt alieno juri subjecti esse, vel contrà, [veluti si filius familias à patre emancipatus fuerit, est capite deminutus.

tus.] 4. ¶ Servus autem manumissus, capite non minuitur: quia nullum caput habuit. 5. ¶ Quibus autem dignitas magis quàm status permutatur: capite nō minuuntur, & ideo à Senatu motos capite non minui constat.

6. ¶ Quod autem dictum est, manere cognationis jus etiam post capitis deminutionem: hoc ita est, si minima capitis deminutio interveniat. Manet enim cognatio. Nam si maxima capitis deminutio interveniat: jus quoque cognationis perit, utputa servitute alicuius cognati: & ne quidem si manumissus fuerit, recipit cognationem. Sed & si in insulam quis deportatus sit, cognatio solvitur.

7. ¶ Quum autem ad agnatos tutela pertineat: non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantùm, qui proximiore gradu sunt: vel si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes [pertinet: veluti si plures fratres sunt, qui unum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.]

REGULÆ JURIS
ex Tit. XVI. excerptæ.

1. *In omni capitis deminutione status aliquis mutatur*, princ. hîc.

2. *Maximâ capitis deminutione & civitas & libertas amittitur*, §. Maxima. 1. hîc.

3. *Mediâ capitis deminutione civitas tantùm amittitur*, §. Minor. 2. hîc.

4. *Minimâ capitis deminutione familia tantùm mutatur*, §. Minima. 3. hîc.

5. *Servus manumissus capite non minuitur*, §. Servus. 4. hîc.

6. *Servus caput habet nullum*, d. §. Servus. 4. hîc.

7. *Privatio præsupponit habitum*, d. §. Servus. 4. hîc.

8. *Quibus dignitas mutatur, capite non minuuntur*, §. Quibus. 5. hîc.

9. *Post minimam capitis deminutionem manet jus cognationis*, §. Quod autem dictum. 6. hîc.

10. *Maxima capitis deminutio jus cognationis etiam perimit*, d. §. Quod a. 6. hîc.

11. *Ad agnatos tutela pertinet*, §. fin. hîc.

12. *Ad agnatos, qui proximiore gradu sunt, tutela pertinet*, d. §. fin. hîc.

13. *Si plures sunt eiusdem gradus agnati, ad omnes tutela pertinet*, d. §. fin. hîc.

DE

DE LEGITIma patronorum tutela

TIT. XVII.

EX eâdem lege duodecim tabularum libertorũ & libertarum tutela ad patronos liberósq; eorum pertinet, quæ & ipsa legitima tutela vocatur: Non quia nominatim in ea lege de hac tutela caveatur: sed quia perinde accepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso quòd hereditates libertorum libertarúmque, si intestati decessissent, jusserat lex ad patronos liberósve eorum pertinere: crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere: & cùm adgnatos, quos ad hereditatem [lex] vocat, eosdem & tutores esse jusserit: quia plerunque ubi successionis est emolumentum ibi & tutelæ onus esse debet. Ideò autem diximus plerunque: quia si à fœmina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, quum alius sit tutor.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVII. excerptæ.

1. *Tutela patronorum est ex l. 12. tabularum*, hîc.

2. *Tutela patronorum ex l. 12. tabul. per interpretationem*, hîc.

3. *Ergò & pro scripto habetur, quod venit ex interpretatione*, hîc.

4. *Tam ex lege est, quod venit ex mente, quàm quod ex verbis legis*, hîc.

5. *Plerumq; ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet*, hîc.

6. *Fœminæ regulariter à tutela arcentur*, hîc in fine.

DE LEGITIMA PARENTUM tutela.

TIT. XVIII.

EXemplo patronorũ recepta est & alia tutela, quæ & ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem, aut neptem ex filio, & deinceps impube-

res

res emancipaverit: legitimus eorum tutor erit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVIII. excerptæ.

1. *Exemplis multa introducta sunt*, hîc.

2. *Legitimum & id est non tantùm, quod ex verbis aut mente legis deducitur: sed & quod exemplis confirmatum est*, hîc.

3. *Emancipans liberos eorum legitimus tutor est*, hîc.

DE FIDUCIARIA tutela.

TIT. XIX.

EST & alia tutela, quæ fiduciaria appellatur. Nam si pater filium vel filiam, nepotem vel neptem, vel deinceps impuberes manumiserit: legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi [eius] virilis sexus existant, fiduciarii tutores vel fratris, vel sororis efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque

eius legitimi sunt tutores: quoniam filius quidē defuncti non esset à vivo patre emancipatus, post obitum eius sui juris efficeretur, nec in fratrum potestatem recideret, ideòque nec in tutelā. Libertus autem si servus mansisset, utique eodem jure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, si perfectæ sint ætatis, quod nostra constitutio in omnibus tutelis & curationibus observari generaliter præcepit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIX. excerptæ.

1. *Pater manumittens suos impuberes, legitimam eorum nanciscitur tutelam*, hîc.

2. *Patre defuncto ad liberos eius tutela vel fratris vel sororis defertur fiduciaria*, hîc.

3. *Filius, si non est emancipatus à patre post obitum eius sui juris efficitur*, hîc.

4. *Servus apud liberos post mortem domini futurus est*, hîc.

5. *In omnibus tutelis, qui ad hasce vocantur, debent esse perfectæ ætatis*, hîc.

DE

DE ATILIANO TUTORE & eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur.

TIT. XX.

SI cui omninò nullus tutor fuerat: ei dabatur in urbe quidem à prætore urbano, & majore parte tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in provinciis verò à præsidibus provinciarum ex lege Julia & Titia.

1. ¶ Sed & si in testamento tutor sub conditione, aut ex die certo datus fuerat; quamdiu conditio aut dies pendebat, ex eisdem legibus tutor dari poterat. Item si purè datus fuerat; quamdiu ex testamento nemo heres existebat, tamdiu ex eisdem legibus tutor petendus erat; qui desinebat esse tutor, si conditio extiterat, aut dies venerat, aut heres extiterat. 2. ¶. Ab hostibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur; qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in civitatem reversus fuerat. Nam reversus recipiebat tutelam jure postliminii. 3. ¶ Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, postea quam primò consules pupillis utriusque sexus tutores ex inquisitione dare cœperunt, deinde prætores ex constitutionibus.

Nam supradictis legibus neque de cautione à tutoribus exigenda, rem salvam pupillis fore, neque de compellendis tutoribus ad tutelæ administrationem quidquam cavebatur.

4. ¶ Sed hoc jure utimur, ut Romæ quidem præfectus urbi, vel prætor secundùm suam jurisdictionem, in provinciis autem præsides ex inquisitione tutores crearent, vel magistratus jussu præsidum, si non sint magnæ pupilli facultates. 5. ¶ Nos autem per constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes: nec expectata jussione præsidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeant, defensores civitatum unà cum eiusdem civitatis religiosissimo antistite vel alias publicas personas, id est, magistratus vel juridicum Alexandrinæ civitatis, tutores vel curatores creare: legitima cautela secundùm eiusdem constitutionis normam præstanda, videlicet eorum periculo qui eam accipiunt.

6. ¶ Impuberes autem in tutela esse naturali jure conveniens est. Ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutelâ regatur. 7. ¶ Quum ergò pupillorum pupillarúmque tutores

tores negocia gerant: post pubertatem tutelæ judicio rationem reddunt.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XX. excerptæ.

1. *Cui nullus tutor datus erat, illi olim à prætore urbano, tribunis & præsidibus dabatur*, Princ. h. c.

2. *Tutor & dabatur si quis testamento sub conditione aut ex die certo datus fuerat*, §. Sed &. 1. hìc.

3. *Ab hostibus tutore capto à magistratu tutor petebatur*, §. Ab hostib. 2. h. c.

4. *Reversus ab hostibus tutor recipiebat tutelam jure postliminii*, d. §. Ab hostibus. 2. h. c.

5. *Leges non raro in desuetudinem abeunt*, §. Sed ex his. 3. h. c.

6. *Magistratus hodie dat tutores*, §. Sed hoc jure. 2. cum seq. h. c.

7. *Per certas leges difficultates hominum resecandæ sunt*, §. Nos autem. 5. hìc.

8. *In tutela cautio rem salvam fore pupillo, præstanda est*, §. Nos autem. 5. h. c.

9. *Impuberes in tutela esse naturali jure conveniens est*, §. Impuberes. 6. h. c.

10. *Nam: Is qui perfectæ ætatis non est, alterius*

rius tutela regendus est, d. §. Impuberes. 6. hîc.

11. *Tutores pupillorum negocia gerunt*, §. fin. hîc.

12. *Hinc: Tutores post pubertatem tutelæ judicio rationem reddere debent*, d. §. fin. hîc.

DE AUCTORITATE tutorum.

TIT. XXI.

AUctoritas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria, ut ecce si quid dari sibi stipulentur: non est necessaria tutoris auctoritas. Quòd si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Namq; placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter quàm [cum] tutoris auctoritate. Unde in his causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depositis: si tutoris auctoritas non interveniat: ipsi quidem, qui

cum

cum his contrahunt, obligantur: At invicem pupilli non obligantur.

1. Neque tamen hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neq; hereditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate (quamvis [illis] lucrosa sit) ne ullum damnum habeant.

2 ¶ Tutor autem statim in ipso negocio præsens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimaverit. Post tempus verò, vel per epistolam interposita auctoritas nihil agit. 3. ¶ Si inter tutorem pupillúmque judicium agendum sit: quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest: non prætorius tutor (ut olim) constituitur, sed curator in locum eius datur: quo [curatore] interveniente, judicium peragitur, & eo peracto curator esse non desinit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXI. excerptæ.

1. *Autoritas tutoris in quibusdam causis pupillis est necessaria.* Princ. hic.

2. *Autoritas tutoris in quibusdam causis non est pupillis necessaria,* Princ. hic.

3. *Meliorem conditionem pupillis licet facere sine tutoris autoritate,* d. pr. hic.

4. Dete-

4. *Deteriorem conditionem non aliter quàm cum tutoris autoritate facere possunt pupilli*, d. pr. hîc.

5. *In causis, ex quibus obligationes mutuæ nascuntur, ipsi qui cum pupillis contrahunt obligantur, at invicem pupilli non obligantur*, d. princ. in fine.

6. *Hereditatem aut bonorum possessionem adire non possunt, nisi tutoris autoritate*, §. Neque. I. hîc.

7. *Pupilli damnum semper evitare debent*, d. §. neque. I. hîc.

8. *Tutor statim in ipso negocio præsens debet auctor fieri.* §, Tutor a. 2. hîc.

9. *Ergò post tempus, vel per epistolam interposita autoritas nihil agit*, d. §. Tutor autem. 2. hîc.

10. *Ipse tutor in rem suam auctor esse non potest* §. Si inter 3. hîc.

11. *E. si quoddam inter tutorem & pupillum judicium oriatur, curator dandus est*, d. §. Si inter. 3. hîc.

12. *Curatore hoc interveniente judicium peragitur, & eo peracto curator esse desinit*, d. §. Si inter. 2. hîc.

QVI-

QVIBUS MODIS tutela finitur.

TIT. XXII.

PUpilli, pupillæque, cùm puberes esse cœperint, [à] tutelâ liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non solùm ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem majestas dignum esse castitate nostrorũ temporum [existimans] benè putavit. Quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideò [nostrâ] sanctâ constitutione promulgatâ, pubertatem in masculis post decimumquartum annum completum illico initium accipere disposuimus: antiquitatis normam in fœminis benè positam [in] suo ordine relinquentes, ut post duodecim annos completos viri potentes esse credantur.

1. ¶ Item, finitur tutela, si adrogati sunt adhuc impuberes, vel deportati: item si in servitutem pupillus redigatur, vel [si] ab hostibus captus fuerit. 2. ¶ Sed & si usque ad certam conditionem datus sit [tutor] testamen-

mento: æquè evenit, ut desinat esse tutor existente conditione, 3. ¶ Simili modo finitur tutela morte vel pupillorum vel tutorum. 4. ¶ Sed & capitis deminutione tutoris, per quam libertas vel civitas amittitur, omnis tutela perit. Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si sese in adoptionem dederit, legitima tantùm tutela perit, cæteræ non pereunt. Sed pupilli & pupillæ capitis deminutio, licet minima sit, omnes tutelas tollit. 5. ¶ Præterea qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finito eo, deponunt tutelam. 6. ¶ Desinunt etiam tutores esse, qui vel removentur à tutela ob id, quòd suspecti visi sunt: vel qui ex justa causa sese excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt, secundum ea, quæ inferius proponemus.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXII. excerptæ.

1. *Pupilli pupillæq; cùm puberes esse cœperint, à tutela liberantur*, Princ. hîc.

2. *Pubertas ex inspectione habitudinis corporis non est æstimanda*, Princ. hîc.

3. *Pubertas in masculis est anno 14. in fœminis 12. completo*, Princ. hîc.

4. Per

4. *Per arrogationem finitur tutela*, §. Item. 1. hîc.

5. *Per deportationem finitur tutela*, d. §. Item 1. hîc.

6. *Per captivitatem finitur tutela*, d. §. Item. 1. hîc.

7. *Testamento sub conditione datus tutor, existente conditione desinit esse tutor*, §. Sed &. 2. hîc.

8. *Tutela finitur morte vel pupilli vel tutoris*, §. Simili. 2. hîc.

9. *Capitis deminutione tutoris maxima & media tutela finitur*, §. Sed &. 4. hîc.

10. *Pupilli capitis deminutio omnis omnes tutelas tollit*, §. Sed &. 4. hîc.

11. *Ad certum tempus testamento datus tutor, eo finito deponit tutelam*, §. Præterea. 5. hîc.

12. *Finitur & tutela remotione, excusatione & administrandæ tutelæ oneris depositione*, §. fin. hîc.

DE CURATORIBUS.

Tit. XXIII.

MAsculi [quidem] puberes, & fæminæ viri potentes, usq; ad vicesimum quin-

quintum annum completum curatores accipiunt: quia licet puberes sint, adhuc tamen eius ætatis sunt, ut sua negocia tueri non possint.

1. Dantur autem curatores ab eisdem magistratibus, à quibus & tutores. Sed curator testamento non datur: datus tamen confirmatur decreto prætoris vel præsidis. 2. ¶ Item inviti adolescentes, curatores non accipiunt, præterquam in litem. Curator enim & ad certam causam dari potest. 3. ¶ Furiosi quoque & prodigi, licet majores viginti quinq; annis sint: tamen in curatione sunt adgnatorum ex lege duodecim tabularum. Sed solent Romæ præfectus urbi vel prætores, & in provinciis præsides ex inquisitione eis curatores dare.

4. ¶ Sed & mente captis, & surdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant (quia rebus suis superesse non possunt) curatores dandi sunt.

5. ¶ Interdum autem & pupilli curatores accipiunt, utputa si legitimus tutor non sit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non potest. Itē si testamento datus tutor, vel à prætore, aut præside, idoneus non sit ad administrationem, nec tamen fraudulenter negocia administret: solet ei curator adjungi, l-

gi. Item loco tutorum, qui non in perpetuum, sed ad tempus à tutela excusantur, solent curatores dari. 6. ¶ Quod si tutor adversâ valetudine, vel aliâ necessitate impediatur, quo minus negocia pupilli administrare possit: & pupillus vel absit, vel infans sit: quem velit actorem, periculo ipsius tutoris, prætor, vel qui provinciæ præerit, decreto constituet.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIII. excerptæ.

1. *Masculi puberes & fœminæ viri potentes usq; ad 25. annum completum curatores accipiunt*, Pr. hîc.

2. *Etiam puberes adhuc eius ætatis sunt, ut suæ negocia tueri non possint*, Pr. hîc.

3. *Curatores ab iisdem dantur magistratibus, à quibus tutores*, §. Dantur. 1. hîc.

4. *Curator testamento non datur*, d. §. Dantur 1. hîc.

5. *Inviti adolescentes curatores non accipiunt, præterquam ad litem*, §. Item inviti. 2. hîc.

6. *Curator & ad certam causam dari potest*, d. §. Item. 2. hîc.

7. *Furiosi & prodigi, licet majores 25. annis, in curatione sunt agnatorum.* §. Furiosi. 3 hic.

8. *Furiosis & prodigis ex inquisitione Magistratus dat curatores,* §. Furiosi. 3. hic.

9. *Mente captis, surdis, mutis, & qui perpetuo morbo laborant, curatores dantur,* §. Sed &. 4. hic.

10. *Interdum & pupilli curatores accipiunt,* §. Interdum. 5. hic.

11. *Quando & curatore impedito actor adjungitur,* §. fin. hic.

DE SATISDATIONE tutorum vel curatorum.

Tit. XXIV.

NE tamen pupillorũ pupillarumve, & eorum, qui quæve in curatione sunt, negocia à curatoribus, tutoribúsve consumantur, vel deminuantur: curet prætor, ut & tutores, & curatores eo nomine satisdent. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum & diligentia ab ipso testatore approbata est. Item ex inquisitione tutores vel curatores dati, satisdatione non onerantur; quia idonei electi sunt.

1. ¶ Sed

1. ¶ Sed si ex testamento vel inquisitione duo plurêsve dati fuerint: potest unus offerre satisdationem de indemnitate pupilli vel adolescentis, & contutori suo vel concuratori præferri, ut solus administret: vel ut contutor [aut concurator] satis offerens præponatur ei, ut & ipse solus administret. Itaque per se non potest petere satisdationem à contutore suo vel concuratore: sed offerre debet ut electionem det contutori vel concuratori suo, utrum velit satis accipere, an satisdare. Quòd si nemo eorum satis offerat: si quidem adscriptum fuerit à testatore, quis gerat: ille gerere debet. Quòd si non fuerit adscriptum quem major pars elegerit, ipse gerere debet: ut edicto prætoris cavetur. Sin autè ipsi tutores dissenserint circa eligendũ eum, vel eos, qui gerere debent: prætor partes suas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquisitione datis comprobandũ est: id est, ut major pars eligere possit, per quem administratio fiat. 2. ¶ Sciendũ a. est, non solùm tutores vel curatores pupillis, vel adultis, cæterisquè personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, qui satisdationem accipiunt, subsidiariam actionem esse, quæ ultimum eis præsidium possit adferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omninò

minò à tutoribus vel curatoribus satisdari non curaverunt, aut non idoneè passi sunt caveri. Quæ quidem tam ex prudentium responsis, quàm ex constitutionibus imperialibus etiam in heredes eorum extenditur.

3. ¶ Quibus constitutionibus & illud exprimitur, ut nisi caveant tutores & curatores, pignoribus captis coërceantur.

4. ¶ Neque autem præfectus urbis, neque prætor, neque præses provinciæ, neque quisquam alius, cui tutores dandi jus est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodo, qui satisdationem exigere solent.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIV. excerptæ.

1. *Pupillorum pupillarumve, & eorum, qui in curatione sunt, negocia à curatoribus vel tutoribus non sunt consumenda aut diminuenda*, Princ. hîc.

2. *Ergò curatores & tutores satisdent*, Prin. hîc.

3. *Tutores testamento dati satisdare non coguntur*, Princ. hîc.

4. *Tutorum testamento datorum fides & diligentia ab ipso testatore approbata est*, Pr. hîc.

5. Tuto-

5. *Tutores vel curatores ex inquisitione dati satisdatione non onerantur*, Pr. hîc.

6. *Si plures concurrant, potest unus offerre satisdationem de indemnitate, & aliis præferri* §. Sed si. 1. hîc.

7. *Si nemo offerat: ille gerit, qui scriptus est à testatore ut gerat*, d. §. Sed si. 1. hîc.

8. *Dissentientibus contutoribus prætor partes suas interponat*, d. §. Sed si. 1. hîc.

9. *Major pars tutorem, qui gerat, eligit*, d. §. Sed si. 1. hîc.

10. *Tutores & curatores pupillis vel adultis ex administratione rerum tenentur*, §. Sciendum est. 2. hîc.

11. *In eos etiam qui satisdationem accipiunt, subsidiaria est actio*, d. §. Sciendum est. 2. hîc.

12. *Paria sunt vel non fieri, vel non idoneè fieri*, arg. d. §. Sciendum est. 2. hîc.

13. *Subsidiaria actio & in hæredes illorum, qui satisdationem accipiunt, extenditur*, d. §. Sciendum est. 2. hîc.

14. *Tutores & curatores nisi caveant, pignoribus captis coerceri possunt*, §. Quib. 3. hîc.

15. *Hac actione hi tantùm tenentur, qui satisdationem exigere solent*, §. final. hîc.

DE EXCUSATIONE TUtorum vel curatorum.

TIT. XXV.

EXcusantur autem tutores & curatores variis ex causis: plerunque tamen propter liberos, sive in potestate sint, sive emancipati. Si enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque: à tutela vel cura potest excusari, exemplo cæterorum munerum. Nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Sed adoptivi liberi non prosunt. In adoptionem autem dati naturali patri prosunt. Item nepotes ex filio prosunt, ut in locum patris sui succedant: ex filia non prosunt. Filii autem superstites tantùm ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prosunt: defuncti autem non prosunt. Sed si in bello amissi sunt: quæsitum est, an prosint? Et constat eos solos prodesse, qui in acie amittuntur. Hi enim, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. 1. ¶ Item divus Marcus in Semestribus rescripsit eum, qui res fisci administrat, à tutela vel cura, quamdiu administrat, excusari posse. 2. ¶ Item qui Reipublicæ causa absunt,

sunt, à tutela vel cura excusantur. Sed & si fuerint, tutores vel curatores [dati,] deinde Reipublicæ causa abesse cœperint: à tutela vel cura excusantur, quatenus Reipub. causa absunt: & interea curator loco eorum datur: qui si reversi fuerint, recipiunt onus tutelæ. Nam nec anni habent vacationem, ut Papianus libro quinto Responsorum scripsit. Nam hoc spacium habent ad novas tutelas vocati. 3. ¶ Et qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, ut divus Marcus rescripsit: sed susceptam tutelam deserere non possunt. 4. ¶ Item propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet, excusari non potest: nisi fortè de omnibus bonis, vel hereditate controversia sit. 5. ¶ Item tria onera tutelæ non adfectatæ, vel curæ, præstant vacationem, quamdiu administrantur. Ut tamen plurium pupillorum tutela vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro una computetur.

6. ¶ Sed & propter paupertatem excusationem tribui, tam divi fratres, quàm per se divus Marcus rescripsit, si quis imparem se oneri injuncto possit docere. 7. ¶ Item propter adversam valetudinem, propter quàm ne suis quidem negociis interesse potest, excusatio locum habet.

8. ¶ Similiter eos, qui literas nesciunt, esse excusandos, divus Pius rescripsit: quamvis & imperiti literarum possint ad administrationem negociorum sufficere.

9. ¶ Item si propter inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit: hoc ipsum præstat ei excusationé: sicut per contrarium non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

10. ¶ Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo utitur, quòd ignotus patri pupillorum sit, divi fratres rescripserunt. 11. ¶ Inimicitiæ, quas quis cum patre pupillorum vel adultorum exercuit: si capitales fuerunt, nec reconciliatio intervenit: à tutela vel cura solent excusare. 12. ¶ Item is, qui status controversiam à pupillorum patre passus est, excusatur à tutela. 13. ¶ Item major septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare. Minores autem viginti quinque annis, olim quidem excusabantur: Nostrâ autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam adspirare: adeò ut nec excusatione opus sit. Quâ constitutione cavetur, ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: quum sit incivile, eos, qui alieno auxilio in reb. suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis regun-

reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.
14. ¶ Idem & in milite observandum est, ut nec volens ad tutelæ onus admittatur.
15. ¶ Item Romæ Grammatici, Rhetores & Medici, & qui in patria sua has artes exercent, & intra numerum sunt: à tutela & cura habent vacationem.

16 ¶ Qui autem vult se excusare, si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probaverit: aliis uti intra tempora [constituta] non prohibetur. Qui autem excusare se volunt, non appellant: sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverint se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent, cuiuscunque generis sint, id est, qualitercunque dati fuerint tutores: si intra centesimum lapidem sunt ab eo loco, ubi tutores dati sunt. Si verò ultra centesimum lapidem habitant: dinumeratione factâ viginti millium diurnorum, & amplius triginta dierum. Qui tamen (ut Scævola dicebat) sic debent computari, ne minus sint, quàm quinquaginta dies. 17. ¶ Datus autem tutor, ad universum patrimonium datus esse creditur.

18. ¶ Qui tutelam alicuius gessit, invitus curator eiusdem fieri compellitur: in tantùm, ut licet paterfamilias, qui testamento

tutorem dedit, adjecerit se eundem tutorem dare: tamen invitum eum curam suscipere non cogendum, divi Severus & Antonius rescripserunt. 19. ¶ Iidem rescripserunt maritum uxori suæ curatorem datum, excusare se posse, licet se immiscat. 20. ¶ Si quis autem falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit: non est liberatus onere tutelæ.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXV. excerptæ.

1. *Tutores vel curatores variis ex causis excusantur*, Princ. hîc.

2. *Liberi excusant à tutelâ*, Princ. hîc.

3. *Tutela & cura publicum munus est*, d. prin. hîc.

4. *Adoptivi liberi non prosunt, nisi patri naturali* d. pr. hîc.

5. *Nepotes ex filio prosunt, ut in locum patris sui succedant*, d. pr. hîc.

6. *Filii superstites tantùm ad tutelæ vel curæ muneris excusationem prosunt*, d. pr. hîc.

7. *Qui in acie amittuntur ad tutelæ vel curæ excusationem prosunt*, d. pr, hîc.

8. *Qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur*, d. pr. in fin. hîc.

9. Re-

9. *Rerum fiscalium administratio excusat à tutela & cura*, §. Item. 1. h. c.

10. *Absentia Reip. causâ suscepta excusat à tutela & cura*, §. Item. 2. h. c.

11. *Qui Reip. causâ absunt, reversi recipiunt onus tutelæ*, d. §. Item qui. 2. h. c.

12. *Potestas excusat à tutela & cura*, §. Et qui potestatem. 3. h. c.

13. *Lis cum pupillo v. l adulto excusat à tutela, & cura*, §. Item propter. 4. hîc.

14. *Tria onera tutelæ vel curæ non adfectatæ præstant vacationem*, §. Item tria. 5. h. c.

15. *Plurium pupillorum tutela eorundem bonorum pro una computanda est*, d. §. Item tria. 5. hîc.

16. *Et paupertas excusat à tutela vel cura*, §. Sed & propter. 6. h. c.

17. *Adversa valetudo excusat à tutela vel cura*, §. Item propter. 7. hîc.

18. *Imperitia literarum excusat à tutela & cura*, §. Similiter. 8. hîc.

19. *Dati à patre propter inimicitias merentur excusationem*, §. Item. 9. h. c.

20. *Excusatio dicentis, quod ignotus fuerit pater pupillorum, non admittitur*, §. Non esse. 10. hîc.

21. *Inimicitiæ capitales excusant à tutela vel cura*, §. Inimicitiæ 11. h. c.

22. *Sta-*

22. *Status controversia à patre pupillorum mota, excusat à tutela vel cura*, §. Item is, qui. 12. hîc.

23. *Ætas major 70. annis excusat â tutelâ vel curâ*, §. Item major. 13. hîc.

24. *Minores viginti quinque annis non possunt ad tutelam vel curam aspirare*, §. Item major. 13. hîc.

25. *Incivile est eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire*, d. §. Item major. 13. hîc.

26. *Miles nec volens ad tutelæ onus admittitur*, §. Item &. 14. hîc.

27. *Et nonnullorum professio excusat à tutela & cura*, §. Item Romæ 15. hîc.

28. *Pluribus excusationibus uti nemo prohibetur*, §. Qui autem. 16. hîc.

29. *Intra dies quinquaginta continuos, ex quo cognoverunt, se esse tutores vel curatores datos, se excusare debent*, d. §. Qui autem. 16. hîc.

30. *Datus tutor ad universum patrimonium datus esse creditur*, §. Datus autem tutor. 17. hîc.

31. *Qui tutelam alicuius gessit, invitus, curator eiusdem fieri non compellitur*, §. Qui tutelam. 18. h.c.

32. Ma-

32. *Maritus uxori suæ curator datus, se excusare potest*, §. Idem. 19. hîc.

33. *Si quis falsis allegationibus excusationem tutelæ meruerit, non est liberatus onere tutelæ*, §. fin. h. c.

DE SUSPECTIS TUTORIB. VEL CURATORIBUS.

TIT. XXVI.

Sciendum est, suspecti crimen ex lege duodecim tabularum descendere.

1. ¶ Datum est autem jus removendi tutores suspectos Romæ prætori, & in provinciis præsidibus earum, & legato proconsulis. 2. ¶ Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: Nunc videamus, qui suspecti fieri possint. Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, sive sint testamentarii, sive non sint: sed alterius generis tutores. Quare & si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodò meminerimus, famæ patroni parcendum esse, licet ut suspectus remotus fuerit.

3. ¶ Consequens est, ut videamus, qui possint

sint suspectos postulare. Et sciendum est, quasi publicam esse hanc accusationem, hoc est, omnibus patere. Quinimò & mulieres [admittuntur ex rescripto divorum Servi & Antonini:] sed eæ solæ, quæ pietatis necessitudine ductæ, ad hoc procedunt: ut puta mater, nutrix quoque, & avia. Potest & soror. Sed & si qua alia mulier fuerit, quam prætor propensâ pietate intellexerit, sexus verecundiam non egredientem, sed pietate productam non sustinere injuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem.

4. ¶ Impuberes non possunt tutores suos suspectos postulare, puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere. Et ita divi Severus & Antoninus rescripserunt. 5. ¶ Suspectus autem est, qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit, ut Julianus quoque scripsit. Sed & ante, quàm incipiat tutelam gerere tutor, posse eum quasi suspectum removeri, idem Julianus scripsit, & secundum eum constitutum est.

6. ¶ Suspectus autem remotus, siquidem ob dolum: famosus est. Si ob culpam: non æquè. 7. ¶ Si quis autem suspectus postulatur: quoad cognitio finiatur: interdicitur ei administratio, ut Papiniano visum est.

8. ¶ Sed

2. ¶ Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit, posteaquam tutor vel curator decesserit, extingvitur suspecti cognitio. 9. ¶ Si quis tutor copiam sui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur: cavetur epistola divorum Severi & Antonini, ut in possessionem bonorum eius pupillus mittatur: & quæ mora deteriora futura sunt, dato curatore distrahi jubentur. Ergò ut suspectus removeri poterit, qui non præstat alimenta.

10. Sed si quis præsens negat, propter inopiam alimenta posse decerni: si hoc per mendacium dicat: remittendum eum esse ad præfectum urbi puniendum, placuit: sicut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelæ adquisierit vel redemerit.

11. ¶ Libertus quoque si fraudulenter tutelam filiorum vel nepotum patroni gessisse probetur, ad præfectum urbi remittitur puniendus. 12. ¶ Novissimè autem sciendum est eos, qui fraudulenter tutelam administrant, etiam si satis offerant, removendos esse à tutela: quia satisdatio tutoris propositū malevolū non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatē præstat. Suspectum etiam eū putamus, qui morib. talis est, ut suspectus sit. Enimverò tuter vel curator,

quam-

quamvis pauper est, fidelis tamen & diligens, removendus non est quasi suspectus.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXVI. excerptæ.

1. *Suspecti crimen ex l. 12. tabular. descendit*, princ. hic.

2. *Tutores suspectos removit Romæ prætor, & in provinciis præsides earum, & legatus proconsulis* §. Datum est. 1. hic.

3. *Omnes tutores fieri possunt suspecti.* §. Ostendimus. 2. hic.

4. *Et patronus suspectus accusari potest*, d. §. Ostendimus. 2. hic.

5. *Famæ patroni parcendum est, licet ut suspectus remotus fuerit*, d. § Ostendimus. 2. hic.

6. *Suspectos postulare possunt omnes etiam mulieres necessitudine aut pietate ductæ*, §. Consequens. 3. hic.

7. *Fœminæ non debent sexus verecundiam egredi*, §. Consequens. 3. hic.

8. *Impuberes non possunt suspectos tutores postulare*, §. Impuberes ergo. 4. hic.

9. *Puberes curatores suos possunt postulare*, d. § Impuberes. 4. hic.

10. *Suspe-*

10. *Suspectus est, qui non ex fide tutelam gerit*, §. Suspectus. 5. hîc.

11. *Antequam incipiat tutelam gerere tutor, ut suspectus quandóque removeri potest.* d. §. Suspectus. 5. hîc.

12. *Suspectus ob dolum famosus fit, ob culpam non æquè*, §. Suspectus autem. 6. hîc.

13. *Suspectus postulatus, quoad cognitio finiatur, interdicitur ei administratio*, §. Si quis autem. 7. hîc.

14. *Mortuo tutore vel curatore, extingvitur suspecti cognitio*, §. Sed si 8. hîc.

15. *Denegatis à tutore alimentis, pupillus in possessionem bonorum eius immittatur*, §. Si quis. 9. hîc.

16. *Quæ morâ deteriora futura sunt, dato curatore distrahenda sunt*, §. si quis. 9. hîc.

17. *Mendacium in denegandis alimentis puniendum est*, §. Sed si quis. 10. hîc.

18. *Qui datâ pecuniâ tutelæ ministerium acquisierit, puniendus est*, §. Si quis. 10. hîc.

19. *Libertus fraudulenter tutelam gerens puniendus est*, §. Libertus. 11. hîc.

20. *Qui fraudulenter tutelam administrant, à tutela removendi sunt*, §. Novissimè autem. 12. hîc.

21. *Satisdatio tutoris propositum malevolum non mutat, sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat*, d. §. Novissimè autem. 12. hîc.

22. *Tutor vel curator pauper, fidelis tamen & diligens, quasi suspectus removendus non est*, d. §. Novissimè autem. 12. hîc.

IN-

INSTITUTIONUM SEU ELEMENTORUM D. Justiniani sacratissimi Principis,

LIBER SECUNDUS.

DE RERUM DIVISIONE [& adquirendo ipsarum dominio.]

TIT. I.

SUPERIORE libro de jure personarũ exposuimus: modò videamus de rebus, quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur. Quædam enim naturali jure communia sunt, quædam publica, quædam universitatis, quædam nullius, pleraque singulorum, quæ ex variis causis cuiq; adquiruntur, sicut ex subjectis apparebit.

1. ¶ Et quidem naturali jure communia sunt omnium hæc: aër, aqua profluens, & mare

mare, & per hoc littora maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: dum tamen à villis, & monumentis & ædificiis abstineat: quia non sunt juris gentium, sicut est mare. 2. ¶ Flumina autem omnia & portus publica sunt. Ideóque jus piscandi omnibus commune est in portu fluminibúsque. 3. ¶ Est autem littus maris quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. 4. ¶ Riparum quoque usus publicus est jure gentium, sicut ipsius fluminis. Itaque naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum est, sicut per ipsum flumen navigare. Sed proprietas earum illorum est, quorum prædiis hærent. Qua de causa arbores quoque in iisdem natæ, eorundem sunt.

5. ¶ Littorum quoque usus publicus est, & juris gentium, sicut & ipsius maris, & ob id cui, libet liberum est casam ibi ponere, in quam se recipiat: sicut retia siccare, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum potest intelligi nullius esse: sed eiusdem juris esse, cuius & mare, & quæ subjacet mari terra vel arena. 6. ¶ Universitatis sunt, non singulorum, quæ in civitatibus sunt theatra, stadia, & si qua alia sunt communia civitatum.

7. ¶ Nullius autem sunt res sacræ, & religio-

ligiosæ, & sanctæ. Quod enim divini juris est, id nullius in bonis est. 8. ¶ Sacræ res sunt, quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt: veluti ædes sacræ & donaria, quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt; quæ etiam per nostram constitutionem alienari & obligari prohibuimus: exceptâ causâ redemptionis captivorum. Si quis autem auctoritate suâ quasi sacrum sibi constituerit: sacrum non est, sed profanum. Locus autem, in quo ædes sacræ sunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, sacer adhuc manet, ut & Papinianus scripsit.

9. ¶ Religiosum locum unusquisque suâ voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. [In communem autem locum purum invito socio inferre non licet.] In commune verò sepulchrum etiam invitis cæteris licet inferre. [Item si alienus ususfructus est: proprietarii placet, nisi consentiente usufructuario, locum religiosum non facere.] In alienum locum consentiente domino licet inferre: & licet post ea ratum [non] habuerit, quàm illatus est mortuus, tamen locus religiosus fit.

10. ¶ Sanctæ quoq; res veluti muri & portæ [civitatis,] quodammodo divini juris sunt: & ideò nullius in bonis sunt. Ideò autem mu-

ros sanctos dicimus, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideò & legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus.

11. ¶ Singulorum autem hominum multis modis res fiunt, quarundam enim rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod (sicut diximus) appellatur jus gentium: quarundam [vero] jure civili. Commodius est itaque à vetustiore jure incipere. Palàm est autem vetustius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Civilia autem jura tunc esse cœperunt, cùm & civitates condi, & magistratus creari, & leges scribi cœperunt.

12. ¶ Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & [omnia] animalia, quæ mari, cœlo & terrâ nascuntur: simulatque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt, quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec interest, feras bestias & volucres utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno. Planè qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia: potest à domino, si is prævident, prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis: eousque tuum esse intelli-

telligitur, donec tua custodia coercetur. Cùm verò tuam evaserit custodiam, & in libertatem naturalem sese receperit: tuum esse desinit. Et rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cùm vel oculos tuos effugerit, vel ita fit in conspectu tuo, ut difficilis sit eius persequutio.

13. ¶ Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit, statim tua esse intelligatur? [Et] quibusdam placuit statim esse tuam, & eousque tuam videri, donec eam persequaris, quod si desieris persequi: desinere esse tuam, & rursus fieri occupantis. Alii verò putaverunt, non aliter tuam esse, quàm si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quòd multa accidere soleant, ut eam non capias.

14. ¶ Apium quoque fera natura est. Itaque, [apes,] quæ in arbore tua consederint, antequam à te alveo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quàm volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideòque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. Favos quoque, si quos effecerint, eximere quilibet potest. Planè integrá re, si prævideris ingredientem fundum tuum, poteris eum jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque

quod ex alveo tuo evolaverit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persequutio eius est, alioquin occupantis fit. 15. ¶ Pavonum quoque & columbarum fera natura est, nec ad rem pertinet, quod ex consvetudine evolare & revolare solent. Nam & apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. Cervos quoque quidam ita mansuetos habent, ut in sylvam ire & redire soleant: quorum & ipsorum feram esse naturam, nemo negat. In iis autem animalibus, quæ ex consuetudine abire & redire solent, talis regula comprobata est: ut eousque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant. Nam si revertendi animum habere desierint: etiam tua esse desinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cùm revertendi consvetudinem deseruerint.

16. ¶ Gallinarum autem & anserum non est fera natura, idque ex eo possumus intelligere, quod aliæ sunt gallinæ, quas feras vocamus: Item alii sunt anseres, quos feros appellamus. Idcóque si anseres tui, aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati turbatæve evolaverint: licet conspectum tuum effugerint, quocunque tamen loco sint, tui tuæve esse intel-

intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur. 17. ¶ Item ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt: adeò quidem, ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur: qui tamen, si evaserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt. 18. ¶ Item lapilli, & gemmæ, & cætera, quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt. 19. ¶ Item ea, quæ ex animalibus dominio tuo subjectis nata sunt, eodem jure tibi adquiruntur.

20. ¶ Præterea quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi adquiritur. Est autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur. 21. ¶ Quòd si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit: palàm est eam tuam permanere. Planè si longiori tempore fundo vicini tui hæserit, arborésque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse. 22. ¶ Insula, quæ in mari nata est (quod rarò accidit) occupantis fit: Nullius enim

esse creditur. At insula in flumine nata (quod frequenter accidit) siquidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis propè ripam prædia possident. Pro modo [scilicet] latitudinis cuiusque fundi, quæ propè ripam sit. Quòd si alteri parti proximior sit: eorum est tantum, qui ab ea parte propè ripam prædia possident. Quòd si aliquâ parte divisum sit flumen, deinde infrà unitum, agrum alicuius in formam insulæ redegerit: eiusdem permanet is ager, cuius & fuerat.

23. ¶ Quòd si naturali alveo in universum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit: prior quidem alveus eorum est, qui propè ripam eius prædia possident: pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quæ propè ripam sit. Novus autem alveus eius juris esse incipit, cuius & ipsum flumen est, id est, publicus. Quòd si post aliquod tempus, ad priorem alveum reversum fuerit flumen: rursus novus alveus eorum esse incipit, qui propè ripam eius prædia possident. 24. ¶ Alia sanè causa est, si cui totus ager inundatus fuerit. Neque enim inundatio fundi speciem commutat: & ob id, si recesserit aqua: palàm est eum fundum eius manere, cuius & fuit.

25. ¶ Quum ex aliena materia species aliqua

qua facta sit ab aliquo: quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus sit: utrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit? Ut ecce, si quis ex alienis uvis, aut olivis, aut spicis, vinum, aut oleum, aut frumentū fecerit: aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit: vel ex medicamentis alienis emplastrū aut collyrium compōsuerit: vel ex aliena lana vestimentum fecerit: vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel subsellia fabricaverit. Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambiguitatem, placuit media sententia existimantium, si ea species ad priorē & rudem materiam reduci possit: eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit. Si non possit reduci: eum potius intelligi dominum, qui fecerit. Ut ecce, vas conflatum potest ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci. Vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas vel olivas, vel spicas reverti non potest. At ne mulsum quidem ad vinum & mel resolvi potest. Quod si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit quis: veluti ex suo vino & alieno melle mulsum miscuerit, aut ex suis & alienis medicamentis emplastrum aut collyrium

rium, aut ex sua lana & aliena vestimentum fecerit, dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum, qui fecerit: cùm non solùm operam suam dederit, sed & partem eiusdem materiæ præstiterit.

26. ¶ Si [tamen] alienam purpuram vestimento suo quis intexuerit: licet pretiosior sit purpura, tamen accessionis vice cedit vestimento: & qui dominus fuit purpuræ, adversus eum, qui subripuit, habet furti actionem, & condictionem: sive ipse sit, qui vestimentum fecit, sive alius. Nam extinctæ res, licet vindicari non possint, condici tamen furibus, & quibusque aliis possessoribus possunt. 27. ¶ Si duorum materiæ ex voluntate dominorum confusæ sint: totum id corpus, quod ex confusione fit, utriusque commune est: veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti vel auri conflaverint. Sed si diversæ materiæ sint, & ob id propria species facta sit: fortè ex vino & melle mulsum, aut ex auro & argento electrum. Idem juris est, nam & hoc casu communem esse speciem non dubitatur. Quòd si fortuitò & non voluntate dominorum confusæ fuerint, vel eiusdem generis materiæ, vel diversæ: idem juris esse placuit.

28. ¶ Quòd si frumentum Titii frumento tuo

tuo mistum fuerit, si quidem ex voluntate vestra, commune est: quia singula corpora, id est, singula grana, quæ cuiusque propria fuerunt, ex consensu vestro communicata sunt. Quod si casu id mistum fuerit, vel Titius id miscuerit sine tua voluntate, non videtur commune esse: quia singula corpora in sua substantia durant. Sed nec magis istis casibus commune fit frumentum, quàm grex intelligitur esse communis, si pecora Titii tuis pecoribus mista fuerint. Sed si ab alterutro vestrûm totum id frumentum retineatur: in rem quidem actio pro modo frumenti cuiusque competit: arbitrio autem judicis continetur, ut ipse æstimet, quale cuiusq; frumentum fuerit.

29. ¶ Cùm in suo solo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur dominus ædificii: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. Nec tamen ideò is, qui materiæ dominus fuerat, desinit dominus eius esse: sed tantisper neq; vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem duodecim tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto. Appellatione autem tigni omnis materia

ria significatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideò provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit. Quod si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum jam consequutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere. 30. ¶ Ex diverso si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius fit domus, cuius & solum est. Sed hoc casu materiæ dominus proprietatem eius amittit: quia voluntate eius intelligitur esse alienata, utiq; si non ignorabat se in alieno solo ædificare: & ideò licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest. Certè illud constat, si in possessione constituto ædificatore, soli dominus petat domum suã esse, nec solvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum: posse eum per exceptionẽ doli mali repelli: utiq; si bonæ fidei possessor fuerit, qui ædificavit. Nam scienti alienum solum esse, potest objici culpã, quòd ædificaverit temerè in eo solo, quod intelligebat alienum esse. 31. ¶ Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diverso si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit. Si modò utroq; casu radices egerit, antè enim, quàm radices egerit, eius permanet, cuius fueret. Adeò autem ex eo tem-

eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur: ut si vicini arbor ita terram Titii presserit, ut in eius fundum radices egerit: Titii effici arborem dicamus, ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. Et ideò propè confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis sit.

32. ¶ Quâ ratione autem plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt, eâdem ratione frumenta quoque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Cæterùm sicut is, qui in alieno solo ædificavit: si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali, secundùm ea, quæ diximus: ita eiusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa, [bonâ fide] consevit.

33. ¶ Literæ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis membranisve cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur, aut inseruntur, ideôque si in chartis membranisve tuis carmen, vel historiam, vel orationem Titius scripserit: huius corporis non Titius, sed tu dominus esse videris. Sed si à Titio petas tuos libros, tuásve membranas, nec impensas scripturæ solvere paratus sis:

pote-

poterit se Titius defendere per exceptionem doli mali. Utique si earum chartarum membranarúmve possessionem bonâ fide nactus est. 34. ¶ Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putat tabulam picturæ cedere: aliis videtur, picturam, qualiscunque sit, tabulæ cedere: sed nobis videtur melius esse tabulam picturæ cedere. Ridiculum est enim picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere. Unde si à domino tabulę imaginem possidente, is, qui pinxit, eam petat, nec solvat pretium tabulæ, poterit per exceptionem doli mali submoveri. At si is, qui pinxit, [eam] possideat: Consequens est, ut utilis actio domino tabulæ adversus eum detur: quo casu, si non solvat impensam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli, utique si bonâ fide fuerit possessor ille, qui picturam imposuit. Illud enim palàm est, quòd sive is, qui pinxit, subripuit tabulas, sive alius: competit domino tabularum furti actio.

35. ¶ Si quis à non domino, quem dominum esse crediderit, bonâ fide fundum emerit, vel ex donatione, aliáve qualibet justâ causâ æquè bonâ fide acceperit: naturali ratione placuit fructus, quos percepit, eius esse pro cultura & cura. Et ideò si postea dominus

super-

supervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non potest. Ei verò qui alienum fundum sciens possederit, non idem concessum est: itaque cum fundo etiam fructus, licet consumpti sint, cogitur restituere.

36. ¶ Is verò, ad quem usus fructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm si ipse eos perceperit. Et ideò licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit: ad heredes eius non pertinent: sed domino proprietatis adquiruntur. Eadem ferè & de colono dicuntur. 37. ¶ In pecudum fructu etiam fœtus est, sicut lac, pilus & lana. Itaque agni, hœdi, & vituli, & equuli, & suculi statim naturali jure dominii fructuarii sunt. Partus verò ancillæ in fructu non est, itaq; ad dominum proprietatis pertinet. Absurdum enim videbatur, hominem in fructu esse: quum omnes fructus rerũ natura gratiâ hominis comparauerit. 38. ¶ Sed si gregis usum fructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius submittere debet, (ut & Juliano visum est) & in vinearum demortuarum vel arborum locum, alias debet substituere, rectè enim colere, & quasi bonus paterfamilias uti debet. 39. ¶ Thesauros, quos quis in loco suo inve-

nerit, divus Hadrianus naturalem æquitatem sequutus, ei concessit, qui [eos] invenerit. Idemque statuit: si quis in sacro, aut religioso loco fortuito casu invenerit. At si quis in alieno loco, non datâ ad hoc operâ: sed fortuitò invenerit: dimidium domino soli concessit, & dimidium inventori. Et convenienter, si quis in Cæsaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium esse Cæsaris, statuit. Cui conveniens est [ut] si quis in fiscali loco, vel publico, vel [civitatis] invenerit, dimidium ipsius esse [debeat,] & dimidium fisci, vel civitatis.

40. ¶ Per traditionem quoq; jure naturali res nobis adquiruntur: nihil enim tam conveniès est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi: & ideò, cuiuscunq; generis sit corporalis res, tradi potest & à domino tradita alienatur. Itaque stipendiaria quoq; & tributaria prædia eodem modo alienantur. Vocantur autè stipendiaria & tributaria prędia, quę in provinciis sunt. Inter quæ necnon & Italica prædia, ex nostra constitutione nulla est differentia. Sed siquidem ex causa donatiõis aut dotis, aut qualibet alia ex causa tradantur, sine dubio transferuntur.

41. ¶ Venditæ verò res & traditæ, non aliter

ter emtori adquiruntur, quám si is venditori pretiũ solverit, vel alio modo ei satisfecerit: veluti expromissore aut pignore dato. Quod quanquam cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen rectè dicitur & jure gentium, id est, jure naturali, id effici. Sed si is, qui vendidit, fidem emptoris sequutus fuerit, dicendum est, statim rem emptoris fieri. 42. ¶ Nihil autem interest, utrum ipse dominus tradat alicui rem suam, an voluntate eius alius, [cui eius rei possessio permissa sit.]

43. ¶ Quâ ratione, si cui libera universorum negociorũ administratio permissa fuerit à domino, isque ex his negociis rem vendiderit & tradiderit: facient eam accipientis. 44. ¶ Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam: veluti si rem quam tibi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud te deposuerit, [postea aut vendiderit tibi, [aut donaverit,] aut dotis nomine dederit. [Quamvis enim ex hac causa tibi eã non tradiderit: eo tamen ipso quod patitur tuam esse, statim tibi adquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset. 45. ¶ Item si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad

emptorem. 46. ¶ Hoc amplius interdum & incertam personam collata voluntas domini transfert rei proprietatem: ut ecce, prætores & consules, cum missilia jactant in vulgus, ignorant quod eorum quisque sit excepturus: & tamen quia volunt, quod quisque acceperit, eius esse: statim eum dominum efficiunt.

47. ¶ Quâ ratione verius esse videtur, si rem pro derelicto à domino habitâ occupaverit quis, statim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id [in numero] rerum suarum esse nolit: ideóque statim dominus eius esse desinit.

48. ¶ Alia sanè causa est earum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur. Hæ enim dominorum permanent: quia palàm est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsi navi maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longè videntur discedere ab his, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. I. excerptæ.

1. *Primo divisionis membro expedito & alterum subjungendum est*, Princ. hîc.

2. *Res, quæ singulorum sunt, variis ex causis acquiruntur*, princ. hîc. in fin.

3. *Naturali jure communia sunt omnium hæc, aër, aqua profluens, & mare, & per hoc littora maris*, §. Et quidem. 1. hîc.

4. *Nemo ad littus maris accedere prohibetur*, §. Et quidem. 1 hîc.

5. *A villis, monumentis & ædificiis in littore maris sitis abstinendum est*, d. §. Et quidem nat. 1. hîc.

6. *Flumina omnia & portus publica sunt*, §. flumina. 2. hîc.

7. *In portu, fluminibusq; jus piscandi omnibus commune est*, d. §. flumina. 2. hîc.

8. *Riparum usus jure gentium publicus est*, §. Riparum. 4. hîc.

9. *Riparum proprietas illorum est, quorum prædiis hærent*, §. Riparum. 4 hîc.

10. *Arbores in ripis natæ illorum sunt, quorum prædiis hærent*. §. Riparum. 4. hîc.

11. *Littorum quoque usus publicus est*, §. Littorum. 5. hîc.

12. *Littorum proprietas nullius est*, d. §. Littorum. 5. hîc.

13. *Quæ communia sunt civitatum, illa universitatis esse dicuntur*, §. Universitatis. 6. hîc.

14. *Res sacræ, religiosæ & sanctæ nullius sunt*, §. Nullius. 7. hîc.

15. *Quod divini juris est, id nullius in bonis est*, d. §. Nullius. 7. hîc.

16. *Res sacræ ritè per Pontifices Deo consecrandæ sunt*, §. Sacræ 8. hîc.

17. *Res sacræ alienari aut obligari non debent*, d. §. Sacræ. 8. hîc.

18. *Auctoritate privatâ sacrum non fit, sed manet profanum*, §. Sacræ. 8. hîc.

19. *Locus ædium sacrarum etiam diruto ædificio sacer manet*, d. §. Sacræ. 8. hîc.

20. *Religiosum locum unusquisque mortuo inferendo facere potest*, §. Religiosum. 9. hîc.

21. *Mortuum in communem locum purum invito socio quis inferre non potest*, d. §. Religiosum 9. hîc.

22. *Si alienus ususfructus est, proprietarius, nisi consentiente usufructuario, locum religiosum non facit*, d. §. Religiosum locum. 9. hîc.

23. *Sacræ quoque res divini quodammodo juris sunt*, §. Sanctæ. 10. hîc.

24. San-

24. *Sanctæ res nullius in bonis sunt*, d. §. Sanctæ. 10. hîc.

25. *In eos, qui aliquid in muros deliquerunt, pœna capitis constituta est*, d. §. Sanctæ. 10. hîc.

26. *Commodius est à vetustiori jure incipere*, §. Singulorum. 11. hîc.

27. *Ius naturale civili est vetustius*, d. §. Singulorum. 11. hîc.

28. *Ius naturale cum ipso genere humano rerum natura prodidit*, d. §. Singulorum. 11. hîc.

29. *Civilia jura tum esse cœperunt, cùm civitates condi, magistratus creari, & leges scribi cœperunt*, d. §. Singulorum. 11. hîc.

30. *Omnia animalia, quæ mari, cælo & terrâ nascuntur, statim capientis fiunt*, §. Feræ. 12. hîc.

31. *Quod ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*, d. §. Feræ. 12. hîc.

32. *Alienum fundum, ne quis venandi aut aucupandi gratiâ ingrediatur, dominus prohibere potest* d. §. Feræ. 12. hîc.

33. *Quicquid ceperit, eousque tuum esse intelligitur, donec tuâ custodiâ coercetur*, d. §. Feræ. 12. hîc.

34. *Quicquid captum in libertatem naturalem*

se receperit, tuum esse desinit, & rursus occupanti fit, d. §. Feræ. 12. hîc.

35. *Fera bestia vulnerata non aliter tua est, quàm si eam ceperis*, §. Illud. 13. hîc.

36. *Apium natura fera est*, §. Apium. 14. hîc.

37. *Favos apium quivis eximere potest*, d. §. Apium. 14. hîc.

38. *Examen apium, quod ex alveo tuo evolavit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio eius est*, d. § Apium 14. hîc.

39. *Pavonum & columbarum fera natura est*, §. Pavonum. 15. hîc.

40. *Animalia, quæ ex consuetudine abire & redire solent, eousq; tua esse intelliguntur, donec animum revertendi habuerint*, d. §. Pavonum. 15. hîc.

41. *Gallinarum & anserum fera natura non est* §. Gallinarum. 16. hîc.

42. *Gallinæ, si avolaverint, quocunque in loco sunt, tuæ esse intelliguntur*, d. §. Gallinarum. 16. hîc.

43. *Qui gallinas lucrandi animo detinet, furtum committit*. d. §. Gallinarum. 16. hîc.

44. *Quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt*, §. Item ea. 17. hîc.

43 Li-

45. *Liberi etiam homines in servitutem nostram per captivitatem deducuntur*, d. §. Item ea. 17. hîc.

46. *Lapilli, gemmæ, &c. quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris fiunt*, §. Item lapilli. 18. hîc.

47. *Quæ ex animalibus dominio tuo subjectis nata sunt, jure naturali tibi acquiruntur*, §. Item ea. 19. hîc.

48 *Quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi acquiritur*, §. Præterea. 20 hîc.

49. *Vi fluminis pars de prædio tuo detracto, & vicini prædio adjecta, tua permanet*, §. Quod si. 21. hîc.

50. *Insula, quæ in mari nata est, occupantis fit*, §. Insula. 22. hîc.

51. *Insula in flumine nata, si media sit, communis est eorum, qui propè ripam prædia possident*, §. Insula. 22. hîc.

52. *Insula uni parte proximior, eorum est tantùm, qui ab ea parte propè ripam prædia possident*, §. Insula. 22. hîc.

53. *Novus alveus publicus est*, §. Quod si. 23. hîc.

54. *Inundatio fundi speciem non commutat*, §. Alia. 24. hîc.

55. *Aquæ inundationis si recesserit, eius manet*

fundus, cuius antea fuit. d. §. Alia sanè. 24, hîc.

56. *Ex aliena materia factum si potest ad priorem materiam reduci, eius est, qui materiæ dominus est.* §. Cùm ex aliena. 25. hîc.

57. *Ex aliena materia factum, si non potest ad priorem materiam reduci, eius est, qui fecit,* d. §. Cùm ex aliena. 25. hîc.

58. *Ex sua & aliena materia. quod quis facit, eius dominus est,* d. §. Cùm ex aliena. 25. hîc.

59. *Media via, cùm præstat, semper eligenda est* §. Cùm ex aliena. 25. hîc. ibi: placuit media sententia.

60. *Qui operam & partem materiæ contulit, plus præstitit, quàm qui tantùm partem materiæ contulit,* d. §. Cùm ex aliena. 25. hîc.

61. *Purpura vestimento intertexta, accessionis vice cedit vestimento,* §. Si tamen. 26. hîc.

62. *Extinctæ res non possunt vindicari,* §. Si tamen. 26. hîc.

63. *Extinctæ res condici possunt,* §. Si tamen. 26. hîc.

64. *Quod ex materiis duorum ex voluntate fit, commune est,* §. Si duorum. 27. hîc.

65. *Ex diversis materiis confusa facta species communis est,* d. §. Si duorum. 12. hîc.

66. Quod

66. *Quod ex materiis fortuitò, & non voluntate dominorum factum est, itidem commune est*, d. §. Si duorum. 27. hîc.

67. *Frumentum voluntate dominorum confusum commune est*, §. Quod si frumentum. 28. hîc.

68. *Frumentum casu mixtum non est commune*, d. §. Quod si. 28. hîc.

69. *In frumento confuso singula corpora in sua substantia durant*, d. §. Quod si. 28. hîc.

70. *Grex, etiamsi ex multis pecoribus mixtus fuerit, communis tamen non est*, d. §. Quod si. 28. hîc.

71. *In suo solo ex aliena materia ædificans, dominus est ædificii*, §. Cùm in suo. 29. hîc.

72. *Omne quod solo inædificatur, solo cedit*, §. Cùm in suo. 29. hîc.

73. *Nemo tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur*, §. Cùm in suo. 29. hîc.

74. *Ædificia non sunt diruenda*, d. §. Cùm in suo. 29. hîc.

75. *Diruto ædificio materiæ dominus eam vindicare potest, & ad exhibendum de ea re agere*, d. §. Cùm in suo. 29.

76. *Si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius fit domus, cuius est & solum*, §. Ex diverso. 30. hîc.

77. *In alieno solo ex suâ materiâ ædificans, materiæ*

teriæ proprietatem amittit, d. §. Ex diverso. 30. hîc.

78. *Quod quis volens alienat, eius proprietatem amittit*, d. §. Ex diverso. 30. hîc.

79. *Scienti alienum solum esse potest objici culpa*, d. § Ex diverso. 30. hîc.

80. *Aliena planta in proprio solo posita est ponentis* §. Si Titius, 31. hîc.

81. *Planta radices agere debet, ut solo cedat*, d. §. Si Titius. 31. hîc.

82. *Antequam radices egerit planta, eius permanet, cuius fuerat*, d. §. Si Titius. 31. hîc.

83. *Ratio non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egerit*, d. §. Si Titius. 31. hîc.

84. *Arbor propè confinium posita communis est*, d. §. Si Titius. 31. hîc.

85. *Frumenta quæ sata sunt, solo cedunt*, §. Quâ ratione. 32. hîc.

86. *Qui alienum fundum bonâ fide suâ impensâ conserit, per exceptionem doli mali defendi potest* §. Quâ ratione. 32. hîc.

87. *Literæ chartis membranisve cedunt*, §. Literæ, 33. hîc.

88. *Si quis in aliena tabula pinxerit, tabula picturæ cedit*, §. Si quis. 34. hîc.

89. Ridi-

89. Ridiculum est, picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere, d. §. Si quis. 34. hic.

90. Si quis à non domino bonâ fide aliquid acceperit, eius fructus sunt pro cultura & cura, §. Si quis. 35. hic.

91. Qui fundum alienum sciens possidet, cum fundo etiam fructus, licet consumti sint, cogitur restituere, d. §. Si quis. 35. hic.

92. Vsufructuarius non aliter fructuum dominus efficitur, quàm si ipse eos perceperit, §. Is verò. 36. hic.

93. Vsufructuarius, si nondum perceptis fructibus decesserit, ad heredes illi non pertinent, d. §. Is verò. 36. hic.

94. In pecudum fructu etiam fœtus est, §. In pecudum. 37. hic.

95. Partus ancillæ in fructu non est, d. §. In pecudum. 37. hic.

96. Absurdum videtur hominem in fructu esse, cùm omnes fructus rerum natura gratiâ hominis comparaverit, d. §. In pecudum. 37. hic.

97 Fructuarius gregis in locum demortuorum capitum ex fœtu submittere debet, §. Sed si gregis, 38. hic.

98, Fructuarius rectè colere, & quasi bonus paterfamilias uti debet, d. §. Sed si gregis. 38. hic.

99. The-

99. *Thesauri, quos quis in loco suo invenit, inventoris sunt*, §. Thesauros. 39. hîc.

100. *Thesauri quos quis in sacro aut religioso loco fortuitò invenit, inventoris sunt*, d. §. Thesauros. 39. hîc.

101. *Thesaurus, si in loco alieno fortuitò inventus fuerit, dimidium domini soli, dimidium inventoris est*, d. §. Thesauros. 39, hîc.

102. *Per traditionem quoque jure naturali res nobis acquiritur*, §. Per traditionem. 40. hîc.

103. *Nihil tam conveniens est naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi*, d. §. Per traditionem 40. hîc.

104. *Res corporalis cuiuscunque sit generis tradi potest, & à domino tradita alienatur*, d. §. per traditionem. 40. hîc.

105. *Venditæ res emptori acquiruntur*, §. Venditæ. 41. hîc.

106. *Ius civile & gentium facilè concurrere possunt*, §. 41. hîc. ibi: Quanquam cavetur, ex lege 12. tabularum.

107. *Et dominus & voluntate eius alius rem tradere potest*, §. Nihil autem. 42. hîc.

108. *Si is, cui libera universorum bonorum admini-*

ministratio à domino permissa est, rem vendiderit, & tradiderit, facit eam accipientis, §. Quâ ratione. 43. h t.

109. *Interdum & sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam*, §. Interdum. 44. hîc,

110. *Mercium in horreo depositarum proprietas clavibus datis transfertur.* §. Item si. 45. hîc.

111. *Quandoq; voluntas domini & in incertam personam transfert rei proprietatem*, § Hoc amplius. 46. hîc.

112. *Res pro derelicto à domino habita fit occupantis*, §. Quâ ratione. 47. hîc.

113. *Res quæ in tempestate levandæ navis causâ ejiciuntur, dominorum permanent*, §. Alia. 48. hîc.

114. *Qui res in tempestate ejectas lucrandi animo abstulerit, furtum committit*, d. §. Alia. 48. hîc.

115. *Qui res de rheda currente ignorantibus dominis decidentes lucrandi animo abstulerit, furtum committit*, d. §. Alia. 48. hîc.

DE

DE REBVS CORPORALIBUS & INCORPORALIBUS.

TIT. II.

QUædam præterea res corporales sunt, quædam incorporales.

1. ¶ Corporales hæ sunt, quæ tangi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles.

2. ¶ Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ in jure consistunt: sicut hereditas, usus fructus, usus [&] obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hereditate res corporales continentur: Nam & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt, & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerunque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum jus hereditatis, & ipsum jus utendi fruendi, & ipsum jus obligationis incorporale est.

3. ¶ Eodem numero sunt jura prædiorum urbanorum & rusticorum, quæ etiam servitutes vocantur.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. II. excerptæ.

1. *Res corporales tangi possunt*, §. Corporales. 1. hîc.

2. *Res incorporales tangi non possunt*, §. Incorporales. 2. hîc.

3. *Res incorporales in jure consistunt*, d. §. Incorporales. 2. hîc.

4. *In hereditate res corporales esse possunt, sed propterea hereditas non fit res corporalis*, §. Incorporales. 2. hîc.

5. *Ipsum jus hereditatis, utendi fruendi & obligationis incorporale est*, d. §. Incorporales. 2. hîc.

6. *Iura prædiorum urbanorum & rusticorum ad res incorporales pertinent*, §. Eodem num. 3. hîc.

DE SERVITUTIBUS prædiorum.
TIT. III.

RUsticorum prædiorum jura sunt hæc: iter, actus, via, aquæ ductus. Iter est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumen-

mentum agendi, [vel vehiculum.] Actus est jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum. Ita qui habet iter, actum non habet: qui actum habet, & iter habet, [eóque uti potest] etiam sine jumento. Via est jus eundi & agendi & ambulandi: Nam & iter & actum via in se continet. Aquæ ductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

1. ¶ Prædiorum urbanorum servitutes sunt hæ, quæ ædificiis inhærent: ideò urbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia, urbana prędia appellamus, etsi in villa ædificata sint. Item urbanorũ prædiorum servitutes sunt, ut vicinus onera vicini sustineat: ut in parietem eius liceat vicinũ tignum immittere: ut stillicidium vel flumen recipiat quis in ædes suas, vel in aream, vel in cloacam: ne altius quis tollat ædes suas, ne luminibus officiat.

2. ¶ Inter rusticorum prædiorum servitutes quidam computari recte putant, aquæ haustum, pecoris ad aquam adpulsum, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

3. ¶ Ideò autem hæ servitutes prædiorum appellantur, quoniam sine prædiis constitui non possunt. Nemo enim potest servitutem adquirere urbani vel rustici prædii, nisi qui habet prædium. 4. ¶ Si quis velit vicino ali-

aliquod jus constituere: pactionibus atque stipulationibus id efficere debet. Potest etiam testamento quis heredem suum damnare, ne altius tollat ædes suas, ne luminibus ædium vicini officiat: vel ut patiatur eum signum in parietem suum immittere, stillicidiúmve adversus eum habere: vel ut patiatur eum per fundum ire, agere, aquámve ex eo ducere.

REGULÆ JURIS
ex Tit. III. excerptæ.

1. *Iumentum agendi vel vehiculum, ad iter non pertinet*, princ. h. c.

2. *Qui habet iter, non habet actum*, Princ. hîc.

3. *Qui habet actum, habet & iter*, Princ. hîc.

4. *Via iter & actum in se continet*, Princip. hîc.

5, *Hinc: qui viam habet, iter & actum habet*, Princ. hîc.

6, *Servitutes prædiorum urbanorum ædificiis inhærent*, §. Prædiorum. 1. hîc.

7. *Ædificia omnia urbana prædia appellamus*, d. §. Prædiorum. 1. hîc.

8. *Servitutes prædiorum sine prædiis constitui non possunt*, §. Ideò. 3. hîc.

9. *Nemo potest servitutem acquirere urbani vel rustici prædii, nisi qui habet prædium*, d. §. Ideò 3. hîc.

10. *Nemo potest servitutem debere, nisi qui prædium habet*, d. §. Ideò. 3. hîc.

11. *Si quis velit vicino aliquod jus constituere, pactionibus atq; stipulationibus id efficere debet*, §. fin. hîc.

12. *Servitutes etiam testamento possunt constitui*, d. §. fin. hîc.

DE USUFRUCTU.

Tit. IV.

USusfructus est jus alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia. Est autem jus in corpore: quo sublato, & ipsum tolli necesse est.

1. ¶ Ususfructus à proprietate separationem recipit: idque pluribus modis accidit: ut ecce si quis usumfructum alicui legaverit. Nam heres nudam habet proprietatem, legatarius verò usumfructum. Et contrà, si fundum legaverit deducto usufructu, legatarius nudam habet proprietatem: heres verò usumfructum. Item alii usum fructum, alii de-

lii deducto eo fundum legare potest. Sine testamento [verò] si quis velit usumfructum alii constituere: pactionibus & stipulationibus id efficere debet. Ne tamen in universum inutiles essent proprietates, semper abscedente usufructu, placuit certis modis extingvi usumfructum, & ad proprietatem reverti. 2. ¶ Constituitur autem ususfructus non tantum in fundo & ædibus, verum etiam in servis, & jumentis, & cæteris rebus: [exceptis iis, quæ ipso usu consumuntur.] Nam hæ res neque naturali ratione, neq; civili recipiunt usumfructum. Quo [in] numero sunt vinum, oleum, frumentum, vestimenta: quibus proxima est pecunia numerata. Namque ipso usu assiduâ permutatione quodammodo extinguitur. Sed utilitatis causâ senatus censuit, posse etiam earum rerum usumfructum constitui: ut tamen eo nomine heredi utiliter caveatur. Itaque si pecuniæ ususfructus legatus sit: ita datur legatario, ut eius fiat, & legatarius satisdet heredi de tanta pecunia restituenda, si morietur, aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, ut eius fiant: sed æstimatis his, satisdatur: ut si moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia restituatur, quanti hæ fuerint [æstimatæ.] Ergò Senatus

non fecit quidē earum rerum usumfructum, (nec enim poterat) sed per cautionem quasi usumfructum constituit. 3. ¶ Finitur autem ususfructus morte usufructuarii, & duabus capitis deminutionibus maxima & media, & non utendo per modum & tempus: quæ omnia nostra statuit constitutio. Item finitur ususfructus, si dominus proprietatis ab usufructuario cedatur: (nam cedendo extraneo, nihil agitur) vel ex contrario si ususfructuarius proprietatem rei adquisierit: quæ res consolidatio appellatur. Eo amplius constat, si ædes incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint, extingvi usumfructum, & ne areæ quidem usumfructum deberi. 4. ¶ Cùm autem finitus fuerit totus ususfructus, revertitur scilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere potestatem.

REGULÆ JURIS
ex Tit. IV. excerptæ.

1. *In usufructu rebus alienis utimur fruimur*, princ. hic.

2. *In usufructu salva debet manere rerum substantia*, Princ. hic.

3. *Usu-*

3. *Ususfructus est jus in corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est*, princ. hîc.

4. *Usufructus à proprietate separatus est*, §. Ususfructus. 1. hîc.

5. *Si quis sine testamento velit usumfructum constituere, pactionibus & stipulationibus id efficere debet*, d. §. Ususfr. 1. hîc.

6. *Proprietates non debent in universum esse inutiles*, §. Ususfr. in fin. h. c.

7. *Ususfructus certis modis extinguitur, & ad proprietatem redit*, d. §. Ususf. 1. h. c.

8. *Constituitur ususfr. non tantùm in fundo & ædibus: verùm etiam in servis & jumentis, &c. quæ usu non consumuntur*, §. Constituitur. 2. hîc.

9. *Res, quæ usu consumuntur, neq; naturali ratione, neq; civili recipiunt usumfructum*, d. § Constituitur, 2. hîc.

10. *In rebus, quæ usu consumuntur, utilitatis causâ Senatus usumfructum aliquem constituit*, d. § Constituitur, 2. h. c.

11. *In usufructu semper cautio requiritur*, d. § Constituitur, 2. hîc.

12. *Ususfructus finitur morte usufructuarii*, §. Finitur. 3. hîc.

13. *Finitur ususfructus maximâ & mediâ capitis deminutione*, §. Finitur. 3. h. c.

14. *Finitur ususfructus non utendo per modum & tempus*, d. §. Finitur. 3. h. c.

15. *Finitur ususfructus, si domino proprietatis ab usufructuario cedatur*, d. §. Finitur. 3. hîc.

16. *Extaneo si ususfr. cedatur, nihil agitur*, §. Finitur. 3. hîc.

17. *Finitur ususfructus, si ususfructuarius proprietatem rei acquisierit*, d. §. Finitur. 3. in fin. hîc.

18. *Extinguitur ususfructus, si res, quâ in ille constitutus, pereat*, d. §. Finitur. in fin. hîc.

19. *Cùm finitus totus fuerit ususfructus revertitur ad proprietatem, & dominus proprietatis incipit plenam habere in re potestatem*, in fin. hîc.

DE USU, ET HABITATIONE.

TIT. V.

IIsdem illis modis, quibus ususfructus constituitur, etiam nudus usus constitui solet: iisdemq; illis modis finitur, quibus & ususfructus desinit.

1. ¶ Minus autem juris est in usu, quàm in usufructu, nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quàm ut oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, & lignis ad usum cotidianum utatur: in

coq;

coq; fundo hactenus ei morari licet, ut neq; domino fundi molestus sit, neq; iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento: nec ulli alii jus, quod habet, aut vendere, aut gratis concedere potest:] quum is, qui usum fructum habet, possit hæc omnia facere.] 2. ¶ Item is, qui ædium usum habet, hactenus jus habere intelligitur, ut ipse tantùm inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre potest. Et vix receptum esse videtur, ut hospitem ei recipere liceat: & cum uxore, liberisque suis, item libertis: nec non personis aliis liberis, quibus non minus quàm servis utitur, habitandi jus habeat. Et convenienter, si ad mulierem usus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

3. ¶ Item is, ad quem servi usus pertinet, ipse tantùm operâ atque ministerio eius uti potest: ad alium vero nullo modo jus suum transferre ei concessum est. Idem scilicet juris est & in jumento. 4. ¶ Sed & si pecorum, vel ovium usus legatus sit: neque lacte, neque agnis, neque lanâ utetur usuarius, quia ea in fructu sunt. Planè ad stercorandum agrum suum pecoribus uti potest. 5. ¶ Sed si cui habitatio legata, sive aliquo modo constituta sit, neque usus videtur, neque usus fructus, sed quasi proprium aliquod jus: quan-

quam habitationem habentibus, propter rerum utilitatem, secundum Marcelli sententiam nostrâ decisione promulgatâ, permisimus non solùm in ea degere, sed etiam aliis locare.

6. ¶ Hæc de servitutibus & usufructu, & usu, & habitatione dixisse sufficiat. De hereditatibus autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summatim, quibus modis jure gentium res adquiruntur: modò videamus, quibus modis legitimo & civili jure adquiruntur.

REGULÆ JURIS ex Titul. V. excerptæ.

1. *Quibus modis ususfructus, illis & nudus usus constituitur*, Princ. hîc.

2. *Quibus modis ususfructus finitur: illis & usus desinit*, d. princ. h. c.

3. *Minus est juris in usu, quàm in usufructu*, §. Minus. 1. h. c.

4. *Qui nudum usum habet, ad usum quotidianum tantùm uti illis potest*, d. §. Minus. 1. hîc.

5. *Usuarius, jus suum quod habet, non potest ven-*

vendere, aut gratis alii concedere, d. §. Minus. 1. hîc.

6. *Usufructuarius suum jus potest vendere, aut gratis alii concedere*, d. §. Minus. 1 hîc.

7. *Qui ædium usum habet, ipse inhabitare, sed non ad alium transferre potest*, §. Item is. 2. hîc.

8. *Qui ædium usum habet, hospitem recipere non potest*, d. §. Item is. 2. hîc.

9. *Qui ædium usum habet, cum uxore, liberis, servis jus habitandi habet*, d. §. Item is. 2. hîc.

10. *Si ad mulierem usus ædium pertineat, cum marito ei habitare licet*, d. §. Item is. 2. hîc.

11. *Qui servi usum habet, ipse tantùm eius opera uti potest*, §. Item is. 3 hîc.

12. *Qui servi usum habet, illum ad alium transferre non potest*, §. Item is. 3. hîc.

13. *Habitatione legatâ legatarius non tantùm in ea degere, sed etiam aliis locare potest*, §. Sed si. 5. hîc.

14. *Habitatio distincta est ab usu & usufructu*, d. §, Sed si. 5. hîc.

15. *Tractatus commodis transitionibus finiendi sunt*, §. fin. hîc.

DE

DE USUCAPIONIBUS, & longi temporis præscriptionibus.

TIT. VI.

JUre civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cùm crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliâve quâvis justâ causâ acceperit, is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno: si immobilis, biennio tantùm in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et quum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur, & ideò constitutionem super hoc promulgavimus: quâ cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium: Immobiles verò per longi temporis possessionem (id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis) usucapiantur & his modis non solùm in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro imperio gubernatur, dominia rerum

justâ

justâ causâ possessionis præcedente adquirantur.

1. ¶ Sed aliquando, etiamsi maximè quis bonâ fide rem possederit, non tamen illi usucapio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat.

2. ¶ Furtivæ quoque res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bonâ fide possessæ fuerint, usucapi possunt. Nam furtivarum rerum lex duodecim tabularum, & lex Atilia, inhibent usucapionem: vi possessarum, lex Julia & Plautia.

3. ¶ Quod autem dictum est, furtivarum & vi possessarum rerum usucapionem per leges prohibitam esse: Non eò pertinet, ut ipse fur, quive per vim possidet, usucapere possit (nam his aliâ ratione usucapio non competit, quia scilicet malâ fide possident) sed ne ullus alius, quamvis ab eis bonâ fide emerit, vel ex alia causa acceperit, usucapiendi jus habeat. Undè in rebus mobilibus non facilè procedit, ut bonæ fidei possessoribus usucapio competat. Nam qui [sciens] alienam rem vendiderit, vel ex alia causa tradiderit, furtum eius committit.

4. ¶ Sed tamen id aliquando aliter se habet. Nam si heres rem defuncto commodatam

tam, aut locatam, vel apud eum depositam, existimans hereditariam esse, bonâ fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit: quin is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est; quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: quum utique heres, qui bonâ fide tanquam suam alienaverit, furtum non committat.

5. ¶ Item si is, ad quem ancillæ ususfructus pertinet, partum suum esse credens vendiderit, aut donaverit, furtum non committit: furtum enim sine affectu furandi non committitur.

6. ¶ Aliis quoque modis accidere potest, ut quis sine vitio furti, rem alienam ad alium transferat, & efficiat, ut à possessore usucapiatur.

7. ¶ Quod autem ad eas res, quæ solo continentur, expedit: jus ita procedit, ut si quis loci vacantis possessionem propter absentiam aut negligentiam domini, aut quia sine successore decesserit, sine vi nanciscatur, quamvis ipse malâ fide possideat (quia intelligit se alienum fundum occupasse) tamen si alii bonâ fide accipienti tradiderit, poterit longâ possessione res adquiri: quia neque furtivum, neque vi possessum acceperit. Abolita est enim quorundam veterum sententia

tia, existimantium etiam fundi locive furtum fieri. Et eorum utilitati, qui res soli possident, principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa & indubitata possessio debeat auferri.

8. ¶ Aliquando etiam furtiva, vel vi possessa res usucapi potest. Veluti si in domini potestatem reversa fuerit. Tunc enim vitio rei purgato, procedit eius usucapio.

9. ¶ Res fisci nostri usucapi non potest. Sed Papinianus scripsit, bonis vacantib. fisco nondum nunciatis bonæ fidei emptorem traditam sibi rem ex his bonis usucapere posse: & ita divus Pius, & divi Severus & Antoninus rescripserunt. 10. ¶ Noviſſimè sciendum est, rem talē esse debere, ut in se non habeat vitium, ut à bonæ fidei emptore usucapi possit, vel qui ex alia justa causa possidet.

11. ¶ Error autem falsæ causæ usucapionem non parit: veluti si quis cum non emerit, emisse se existimans, possideat: vel cùm ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

12. ¶ Diutina possessio, quæ prodesse cœperat defuncto, & heredi, & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat prædiū alienū esse: quod si ille initiū justū non habuit: heredi & bonorū possessori licet ignoranti,

possessio

sessio non prodest. Quod nostra constitutio similiter & in usucapionibus observari constituit, ut tempora continuentur. Inter venditorem quoque & emptorem conjungi tempora, divi Severus & Antoninus rescripserunt.

13. ¶ Edicto divi Marci cavetur eum, qui à fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit, posse dominum rei exceptione repellere. Constitutio autem divæ memoriæ Zenonis benè prospexit iis, qui à fisco per venditionē, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid: ut ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, sive experiantur, sive conveniantur. Adversus autem sacratissimum ærarium usque ad quadriennium liceat eis intendere, qui pro domino vel hypotheca earum rerum, quæ alienatæ sunt, putaverint sibi quasdam competere actiones. Nostra autem divina constitutio, quam nuper promulgavimus, etiam de iis qui à nostra, vel venerabilis Augustæ domo aliquid acceperint, hæc statuit, quæ in fiscalibus alienationibus præfatæ Zenonianæ constitutionis continentur.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. VI. excerptæ.

1. *Usucapionibus de jure civili res acquiruntur*, Princ. h c.

2. *Usucapio sine bonâ fide non procedit*, Princ. hic.

3. *Usucapio introducta est à jure civili, ne rerum dominia in incerto essent*, pr. hîc,

4. *Sententia melior eligenda est*, princ. hîc.

5. *Res mobiles per triennium præscribuntur*, d. princ. hîc.

6. *Immobiles res inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis præscribuntur*, d. pr. hîc.

7. *Domini non debent maturiùs suis rebus defraudari*, d. princ. hîc.

8. *Beneficium non debet certo loco concludi*, d. princ. hîc.

9. *In toto Romano imperio dominia rerum justâ causâ possessionis præcedente acquiruntur*, d. pr. in fin. hîc.

10. *Aliquando licet bona fides adsit: tamen usucapio non procedit*, §. Sed aliquando. 1. hîc.

11. *Liber homo non usucapitur*, d. §. Sed aliquando. 1. hîc.

12. *Res sacra non usucapitur*, d. §. Sed aliquando, 1. hîc.

13. *Res religiosa non usucapitur*, d. §. Sed aliquando. 1. hîc.

14. *Servus fugitivus non usucapitur*, d. §. Sed aliquando. 1. hîc.

15. *Furtivæ res, & quæ vi possessæ non usucapiuntur*, §. Furtivæ. 2. hîc.

16. *Qui malâ fide possidet, non potest usucapere*, §. Quod autem. 3. hîc.

17. *In rebus mobilibus non facilè procedit, ut bonæ fidei possessoribus usucapio competat*, d. §. Quod autem. 3. hîc.

18. *Qui sciens alienam rem vendit, vel ex aliâ causâ tradit, furtum eius committit*, d. §. Quod autem. 3. hîc.

19. *Heres, qui rem defuncto commodatam existimans hereditarium esse, bonâ fide accipienti vendit, usucapiendi facultatem in accipientem etiam transfert*, §. Sed tamen. 4. hîc.

20. *Res quæ in furti vitium non cecidit, usucapi rectè potest*, d. §. Sed tamen. 4. hîc.

21. *Furtum sine affectu furandi non committitur*. Item si is. 5. hîc.

22. *Res soli, quamvis à malæ fidei possessore ad alium bonâ fide delata, ab illo possessione longâ potest acquiri*, §. Quod autem. 7. hîc.

23. *Fundi locive non fit furtum*, d. §. Quod autem. 7. hîc.

24. Lon-

24. *Longa & indubitata possessio nemini facilè est auferenda*, d. §. Quod a 7. hîc.

25. *Aliquando & res furtiva, vel vi possessa usucapi potest*, §. Aliquando. 8. hîc.

26. *Res furtiva vel vi possessa, si in domini potestatem reversa fuerit, usucapi potest*, d. §. Aliquando. 8. hîc.

27. *Vitio rei purgato procedit eius usucapio*, d. §. Aliquando. 8. hîc.

28. *Res fisci Imperatorii usucapi non potest*, §. Res fisci. 9. hîc.

29. *Bonis vacantibus fisco nondum nunciatis bonæ fidei emptor traditam sibi rem ex his bonis usucapere potest*, d. §. Res fisci. 9. hîc.

30. *Res quæ usucapi debet, talis sit oportet, ut in se non habeat vitium*, §. Novissimè. 10. hîc.

31. *Error falsæ causæ usucapionem non parit*, §. Error. 11. hîc.

32. *Diutina possessio, quæ prodesse cœpit defuncto, & heredi & bonorum possessori continuatur*, §. Diutina. 12. hîc.

33. *Si defunctus initium justum non habuerit, heredi & bonorum possessori licet ignoranti possessio non prodest*, d. §. Diutina. 12. hîc.

34. *A venditore inchoata possessio in emptore continuatur*, §. Diutina. 12. hîc.

35. *Qui à fisco rem alienam emit, post quinquennium potest dominum rei exceptione repellere*, §. Edicto. 13. hîc.

36. *Qui à fisco aliquid accipiunt, statim securi fiunt*, d. §. Edicto. 13. h. c.

37. *Qui ab Imperatore vel Augusta aliquid acceperit, statim securus fit*, d. §. Edicto. 13. h. c.

38. *In privilegiis Imperator & Augusta sæpe conjunguntur*, d. §. Edicto. 13. h. c.

DE DONATIONIBUS.

TIT. VII.

EST & aliud genus adquisitionis, donatio. Donationum autem duo sunt genera: mortis causa, & non mortis causa. 1. ¶ Mortis causa donatio est, quæ propter mortis fit suspicionem: cùm quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit. Sin autem supervixisset is, qui donavit, reciperet: vel si eum donationis pœnituisset: aut prior decesserit, cui donatum sit. Hæ mortis causâ donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia: Nam cum prudentibus ambiguum fuerat, utrum donationis, an legati instar eam obtinere oporteret, & utriusque causæ quædam habebat insignia, & alii ad aliud genus eam retrahebant: à nobis constitutum est, ut per omnia ferè legatis connumeretur, & sic procedat, quemadmodum nostra constitutio eam

eam formavit. Et in summa mortis caussâ donatio est, cùm magis se quis velit habere, quàm eum, cui donat: magísque eum, cui donat, quàm heredem suum: Sic & apud Homerum Telemachus donat Piræo:

Πείραι: ἐ γὰρ τ' ἴδ μὲν ὁπῶς ἔσαι τὰ δὲ ἔργα
Εἰπεν ἐμὲ μνησῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
Λάθρι κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσονται,
ἢ Αὐτὸν ἔχοντά σε βλομ' ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε
Εἰ δὲ κ' ἐγὼ τέτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω:
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πάντας δώματα χαίρων. Id est:

Piræe, incertus quoniam rerũ exitus harum est,
Si tacita incautum stolidi me fortè necare
Morte proci paterunt, & opes vexare paternas:
Hæc ego te melo, quàm illorũ quempiam habere:
Sin ego eos justa meritos affecero clade:
Tum mihi tu læto reddes illa omnia lætus.

2. ¶ Aliæ autem donationes sunt, quæ sine ulla mortis cogitatione fiunt, quas inter vivos appellamus, quę non omninò comparãtur legatis, quæ si fuerint perfectæ, temerè revocari non possunt. Perficiuntur autem, cùm donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit. Et ad exemplum

venditionis, nostra constitutio eas etiam in se habere necessitatem traditionis voluit: ut etiamsi non tradantur, habeant plenissimum & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori. Et cùm retrò Principum dispositiones insinuari eas actis intervenientibus volebant, si majores fuerant ducentorum solidorũ: constitutio nostra eam quantitatem usq; ad quingentos solidos ampliavit, quam stare etiam sine insinuatione statuit: sed & quasdam donationes invenit, quæ penitus insinuationem fieri minimè desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem. Alia insuper multa ad uberiorẽ exitum donationum invenimus: quæ omnia ex nostris constitutionibus, quas super his exposuimus, colligenda sunt. Sciendum est tamen quôd etsi plenissimę sint donationes: si tamen ingrati existant homines, in quos beneficium collatum est: donatoribus per nostram constitutionem licentiam præstitimus, certis ex causis eas revocare: ne illi, qui suas res in alios contulerint, ab his quandam patiantur injuriam vel jacturam secundum enumeratos in constitutione nostra modos.

3. ¶ Est & aliud genus inter vivos donationis, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitũ, postea autem á junioribus

ribus divis Principibus introductũ est, quod ante nuptias vocabatur: & tacitam in se conditionem habebat, ut tunc ratum esset, cùm matrimonium esset insequuturum. Ideóq; ante nuptias appellabatur, quod ante matrimonium efficiebatur, & nunquam post nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem D. Justinus pater noster, cùm augeri dotes & post nuptias fuerat permissum: si quid tale eveniret, & ante nuptias augeri donationem & constante matrimonio, suâ constitutione permisit. Sed tamen nomen inconveniens remanebat, cùm ante nuptias quidem vocabatur, post nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos pleniſſimo fini tradere sanctiones cupientes, & consequentia nomina rebus esse studentes constituimus, ut tales donationes non augeantur tantùm, sed etiam constante matrimonio initium accipiant: & non ante nuptias, sed propter nuptias vocentur, & dotibus in hoc exæquentur, ut quemadmodum dotes constante matrimonio non solum aügentur, sed etiam fiunt: ita & istæ donationes, quæ propter nuptias introductæ sunt, non solùm antecedant matrimonium, sed eo etiam contracto augeantur, & constituantur.

4. ¶ Erat olim & alius modus civilis adquisitionis per jus adcrescendi; quòd est ta-

le : Si communem servum habens aliquis cum Titio, solus libertatem ei imposuerit vel vindictâ, vel Testamento : eo casu pars eius amittebatur, & socio adcrescebat. Sed cùm pessimũ fuerat exemplo, & libertate servum defraudari, & ex ea humanioribus quidem dominis damnum inferri, sævioribus autem dominis lucrum accedere : hoc quasi invidiâ plenum, pio remedio per nostram constitutionem mederi necessarium duximus. Et invenimus viam, per quam & manumissor, & socius eius, & qui libertatem accepit, nostro beneficio fruantur, libertate cum effectu procedente (cuius favore antiquos legumlatores multa etiam contra communes regulas statuisse manifestum est) & eo, qui eam libertatẽ imposuit, suæ liberalitatis stabilitate gaudente : & socio indemni conservato, pretiúmque servi secundum partem dominii, quod nos definivimus, accipiente.

REGULÆ JURIS
ex Tit. VII. excerptæ.

1. *Res etiam de I. C. donatione acquiruntur*, pr. hîc.

2. *Donatio mortis causâ fit propter mortis suspicionem*, §. Mortis causa. I. hîc.

3. Mor-

3. *Mortis causâ donatio semper conditionem includit*, d. §. Mortis causa. 1. hîc.

4. *Reconvalescentia impedit effectum donationis mortis causâ factæ*, d. §. Mortis causa. 1. hîc.

5. *Pœnitentia potest revocare donationem mortis causâ factam*, d. §. Mortis causa. 1. hîc.

6. *Si prior decedat, cui donatum est, tollitur donatio mortis causâ*, d. §. Mortis causâ. 1. hîc.

7. *Mortis causâ donationes ad exemplum legatorum redactæ sunt per omnia*, d. §. Mortis causâ. 1. hîc.

8. *Confusa facilè etiam Dd. confundunt animos* §. Mortis causa. 1. hîc. ibi: alii ad aliud genus.

9. *Mortis causâ qui dat, magis vult se habere, quàm eum, cui donat*, d. §. Mortis causâ. 1. hîc.

10. *Poëtarum testimonium in jure magni sæpè momenti est*, argum. d. §. Mortis causa. 1. hîc. in fin.

11. *Donationes inter vivos sine ulla mortis cogitatione fiunt*, §. Aliæ. 2. hîc.

12. *Donationes inter vivos omninò non comparantur legatis*, d. §. Aliæ. 2 hîc.

13. *Donationes inter vivos, si perfectæ non fuerint, temerè revocari non possunt*, d. §. Aliæ. 2. hîc.

14. *Donationes inter vivos, & ipsæ in se traditionis habent necessitatem*, d. §. Aliæ. 2. hîc.

15. *Donationes inter vivos si sint quingentorum solidorum, insinuandæ sunt*, d. §. Aliæ. 2. hîc.

16 *Donationes inter vivos propter ingratitudinem donatarii revocantur* d §. Aliæ. 2. hîc.

17. *Illi qui res suas in alios conferunt, ab his quibus donant, injuriam aut jacturam pati non debent*, d. §. Aliæ. 2. hîc.

18. *Iura ætate creverunt*, § Est & aliud. 3. hic. ibi: Incognitum & à junioribus Principibus introductum.

19. *Donatio ante nuptias tacitam in se habet conditionem*, § Est & aliud. 3. hîc.

20. *Nomen inconveniens removendum*, d. §. Est & aliud. 3. hîc.

21. *Sanctiones debent tradi plenissimo fini*, §. Est & aliud. 3. hîc.

22. *Nomina rebus consequentia esse debent*, d. §. Est & aliud. 3. hîc.

23 *Donationes propter nuptias dotibus exæquatæ sunt* d. §. Est & aliud. 3. hîc.

24. *Dotes, constante matrimonio non solùm augentur, sed etiam fiunt*, d. §. Est & aliud. 3. hîc.

25. *Donationes propter nuptias non solùm antecedunt*

cedunt matrimonium, sed eo etiam contracto augentur & constituuntur, §. Est & aliud. 3. hîc.

26. Res etiam de I.C. per jus accrescendi acquiruntur, §. Erat olim. 4. hîc.

27. Exemplo quod pessimum est, removendum est, d. §. Erat olim. 4. hîc.

28. Servus libertate non est defraudandus, d. §. Erat olim. 4. hîc.

29. Humanioribus dominis damnum non est inferendum, d. §. Erat olim. 4. hîc

30. Severioribus dominis non debet lucrum accedere, d. §. Erat olim. 4. hîc.

31. Factum invidiâ plenum amovendum, d. §. Erat olim. 4. hîc.

32. Constitutionum remedio ea quæ mala corrigenda sunt, d. §. Erat olim. 4. hîc.

33. Constitutiones nemini debent facere injuriam, d. §. Erat olim. 4. hîc.

34. Libertas cum effectu debet procedere, d. § Erat olim. 4. hîc.

35. Libertatis favore legislatores multa contra communes regulas statuerunt, d. §. Erat olim. 4. hîc.

36. Manumissor suæ liberalitatis stabilitate debet gaudere, d. §. Erat olim. 4. hîc.

37. Socius indemnis conservandus est, d. §. Erat olim. 4. hîc.

QVI-

QVIBUS ALIENARE licet, vel non.

TIT. VIII.

ACcidit aliquando, ut qui dominus sit, alienare non possit: & contrà, qui dominus non sit, alienandæ rei potestatem habeat. Nam dotale prædium maritus invitâ muliere per legem Juliam prohibetur alienare: quamvis ipsius sit, dotis causâ ei datum. Quod nos, legē Juliam corrigentes, in meliorem statum deduximus. Cùm enim lex in solis tantummodo rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant, & alienationes inhibebat, quæ invitâ muliere fiebant, hypothecas autem earum rerum, etiam volente eâ; utrique remedium imposuimus, ut etiam in eas res, quæ in provinciali solo positæ sunt, interdicta sit alienatio vel obligatio: ut neutrum eorum neque consentientibus mulieribus procedat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur.

1. ¶ Contrà autem creditor pignus ex pactione, quamvis eius ea res non sit, alienare potest. Sed hoc forsitan ideò videtur fieri, quod

quod voluntate debitoris intelligitur pignus alienari, quia ab initio cõtractus pactus est, ut liceret creditori pignus vendere, si pecunia non solvatur. Sed ne creditores jus suum persequi impedirentur, neque debitores temerè suarum rerum dominium amittere viderentur: nostrâ constitutione consultum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere: cuius tenore utriq; parti, debitorum & creditorum, satis abundè provisum est.

2. ¶ Nunc admonendi sumus, neq; pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse. Ideóque si mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem: quia pecuniam non facit accipientis, ideóq; vindicari nummi possunt, ubicubi extant. Sed si nummi, quos mutuò minor dederit, ab eo, qui accepit, bonâ fide consumpti sunt: condici possunt. Si malâ fide, ad exhibendum de his agi potest. A contrario, omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris auctoritate rectè dari possunt. Ideóque si debitor pupillæ solvat: necessaria est debitori tutoris auctoritas, alioqui non liberabitur. Sed hoc etiam evidentissimâ ratione statutum est in constitutione, quam ad Cæsarienses advocatos ex

sugge-

suggestione Triboniani viri eminentissimi, quæstoris sacri palatii nostri, promulgavimus: qùa dispositum est, ita licere tutori vel curatori debitorem pupillarem solvere, ut prius judicialis sententia sine omni damno celebrata, hoc permittat. Quo subsecuto, si & judex pronunciaverit, & debitor solverit: sequatur huiusmodi solutionem plenissima securitas. Sin autem aliter, quàm disposuimus, solutio facta fuerit, pecuniam autem salvam habeat pupillus, aut ex ea locupletior sit, & adhuc eandem pecuniæ summam petat: per exceptionem doli mali poterit submoveri. Quod si malè consumserit, aut furto [aut vi] amiserit, nihil proderit debitori doli mali exceptio, sed nihilominus condemnabitur: quia temerè sine tutoris auctoritate, & non secundùm nostram dispositionem solverit. Sed ex diverso, pupilli vel pupillæ solvere sine tutoris auctoritate non possunt, quia id, quod solvunt, non fit accipientis: quum scilicet nullius rei alienatio eis sine tutoris auctoritate concessa sit.

REGULÆ JURIS
ex Tit. VIII. excerptæ.

1. *Aliquando dominus qui est, alienare non potest*, Princ. hîc.

2. Ali-

2. *Aliquando dominus qui non est, alienare potest*, Princ. h. c.

3. *Dotale prædium maritus invitâ muliere per legem Iuliam prohibetur alienare*, pr. h. c.

4. *Dotale prædium domini est*, d. princip. hîc.

5. *Nullæ res uxoris, quocunque sitæ sint loco, etiam volente eâ à marito hodie alienari possunt*, pr. hîc.

6. *Sexus muliebris fragilitas non debet in perniciem substantiæ eius converti*, d. princ. h. c. in fine.

7. *Creditor pignus ex pactione potest alienare*, §. Contra. 1. hîc.

8. *Contractus vigore multa conceduntur*, §. contra. 1. h. c.

9. *Creditores jus suum persequi non debent impediri*, d. §. Contra. 1. h. c.

10. *Debitores suarum rerum dominium non debent temerè amittere*, d. §. Contra. 1. h. c.

11. *Vtrig. parti (creditorum & debitorum) providendum est*, d. §. Contra. 1. h. c.

12. *Nec pupillus, nec pupilla ullam rem sine tutoris autoritate alienare potest*, §. Nunc admonendi. 2. hîc.

13. *Pupillus si mutuam pecuniam sine tutoris autoritate alicui dederit, non contrahit obligationem* d. §. Nunc admonendi. 2. h. c.

14. Pu-

14. *Pupillus pecuniam, quam alii dat, non facit accipientis*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

15. *Omnes res pupillo & pupillæ sine tutoris autoritate rectè dari possunt*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

16. *Solvens pupillo sine autoritate tutoris non liberatur*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

17. *In legibus condendis, & rationes debent subesse evidentissimæ*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

18. *Debitor solvens pupillo, ut liberetur, debet accedere judicialis sententia*, d. §. Nunc admonendi. 2 hîc.

19. *Qui temerè pupillo sine tutoris autoritate & non secundum juris dispositionem solverit, condemnatur*, d. §. Nunc admonendi. 2 hîc.

20. *Pupilli sine tutoris autoritate solvere non possunt*, d. §. Nunc admonendi. 2 hîc.

21. *Pupilli quod solvunt, non fit accipientis*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

22. *Nullius rei alienatio pupillis sine tutoris autoritate concessa est*, d. §. Nunc admonendi. 2. hîc.

PER QVAS PERSONAS cuique adquiritur.

TIT. IX.

Adqui-

ADquiritur vobis non solùm per vosmetipsos, sed etiam per eos, quos in potestate habetis: [item per servos, in quibus usumfructum habetis:] item per homines liberos, & per servos alienos quos bonâ fide possideris, de quibus singulis diligentius dispiciamus.

1. ¶ Igitur liberi vestri utriusque sexus, quos in potestate habetis, olim quidem, quicquid ad eos pervenerat (exceptis scilicet castrensibus peculiis) hoc parentibus suis adquirebant sine ulla distinctione, & hoc ita parentũ fiebat, ut etiam esset eis licentia, quod per unum vel unam eorum adquisitum esset, alii filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quocunque modo voluerant, adplicare. Quod nobis inhumanum visum est: & generali constitutione emissâ, & liberis peperçimus, & patribus honorem debitum reservavimus. Sancitum etenim à nobis est, ut si quid ex re patris ei obveniat, hoc secundùm antiquam observationem totum parenti adquiratur. Quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias adquisivit: huius usumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud

eum remaneat: ne quod ei suis laboribus, vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat.

2. ¶ Hoc quoque à nobis dispositum est & in ea specie, ubi parens emancipando liberos suos ex rebus, quæ adquisitionem effugiebant sibi tertiam partem retinere (si voluerat) licentiam ex anterioribus constitutionibus habebat, quasi pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, ut filius rerum suarum ex hac emancipatione dominio pro parte [tertia] defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quod sui juris effectus esset, hoc per rerum diminutionem decresceret. Ideóque statuimus, ut parens pro tertia parte dominii, quam retinere poterat dimidiam non dominii rerum, sed ususfructus retineat. Ita etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore summâ fruetur, pro tertia dimidia potiturus.

3. ¶ Item vobis adquiritur, quod servi vestri ex traditione nanciscuntur: sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa adquirant. Hoc enim vobis ignorantibus & invitis obvenit. Ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest. Sed si heres institu-

tus

tus sit, non aliàs nisi vestro jussu, hereditatem adire potest. Et si vobis jubentibus adierit: vobis hereditas adquiritur, perinde ac si vos ipsi heredes instituti essetis. Et convenienter scilicet vobis legatum per eos adquiritur. Non solùm autem proprietas per eos, quos in potestate habetis, vobis adquiritur: sed etiam possessio. Cuiuscunque enim rei possessionem adepti fuerint, id vos possidere videmini. Unde etiam per eos usucapio, vel longi temporis possessio vobis accidit.

4. ¶ De iis autem servis, in quibus tantummodo usumfructum habetis, ita placuit, ut quicquid ex re vestra, vel ex operis suis adquirant, id vobis adjiciatur, quod verò extra eas causas consequuti sunt: id ad dominum proprietatis pertineat. Itaque si is servus heres institutus sit, legatúmve quid ei, aut donatum fuerit: non usufructuario, sed domino proprietatis adquiritur. Idem placet & de eo, qui à vobis bonâ fide possideatur: sive is liber sit, sive alienus servus. Quod enim placuit de usufructuario, idem placet & de bonæ fidei possessore. Itaq; quod extra istas duas causas adquiritur: id vel ad ipsum pertinet, si liber est: vel ad dominum, si servus est. Sed bonæ fidei possessor, cùm usu-

ceperit servum (quia eo modo dominus fit) ex omnibus causis, per eum sibi adquirere potest. Fructuarius v. usucapere non potest: primùm, quia non possidet, sed habet jus utendi fruendi: deinde quia scit servum alienum esse. Non solùm autem proprietas per eos servos, in quibus usumfructum habetis, vel quos bonâ fide possidetis, aut per liberam personam, quæ bonâ fide vobis servit, vobis adquiritur: sed etiam possessio. Loquimur autem in utriusq; persona secundum distinctionem, quam proximè exposuimus, id est, si quam possessionem ex re vestra, vel ex suis operis adepti fuerint.

5. ¶ Ex his itaq; apparet, per liberos homines, quos neque vestro juri subjectos habetis, neque bonâ fide possidetis: item per alienos servos, in quibus neq; usumfructum habetis, neque possessionem justam: nulla ex causa vobis adquiri posse. Et hoc est, quod dicitur per extraneam personam nihil adquiri posse: excepto eo, quod per liberam personam (veluti per procuratorem) placet non solùm scientibus, sed & ignorantib. vobis adquiri possessionem, secundùm divi Severi constitutionem: & per hanc possessionem etiam dominium, si dominus fuerit, qui tradidit: vel usucapionem, aut longi temporis præ-

præscriptionem, si dominus non sit. 6. ¶ Hactenus tantisper admonuisse sufficiat, quemadmodũ singulæ res vobis adquirantur, nam legatorum ius, quo & ipso singulæ res vobis adquiruntur: item fideicommissorum, ubi singulæ res vobis relinquuntur: opportunius inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per universitatem res vobis adquirantur. Si cui ergò heredes facti sitis, sive cuius bonorum possessionem petieritis, vel si quem adrogaveritis, vel si cuius bona libertatum conservandarum causa vobis addicta fuerint: eius res omnes ad vos tranſeunt. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex conditio est. Nam vel ex testamento, vel ab intestato ad vos pertinent. Et prius est, ut de his dispiciamus, quæ ex testamento vobis obveniunt. Quâ in re necessarium est, initium de testamentis ordinandis exponere.

REGULÆ JURIS
ex Tit. IX. excerptæ

1. *Acquiritur vobis per vosmetipsos*, Princ. h. c.

Sed non tantùm.

2. *Nam: Per eos, quos in potestate habetis, etiam vobis acquiritur*, d. pr. hîc.

3. Ergò liberi vestri, quos in potestate habetis, cuiuscuius sint sexus, vobis acquirunt, §. Igitur. I. hîc.

4. Quicquid liberi olim acquirebant, in eo parentes plenariam habebant potestatem, d. § Igitur. I. hîc.

5. Iura inhumana tollenda sunt, vel certè mitigánda, d. §. Igitur. I. hîc.

6. Liberis quidem parcendum est: sed tamen & patribus debitus honos reservandus, d. §. Igitur. I. hîc.

7. Si quid ex re patris filio obvenit, hoc totum parenti acquiritur, d. §. Igitur. I. hîc.

8. Non est invidia, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti, d. §. Igitur. I. hîc.

9. Quod ex alia causâ sibi filius f. acquisivit, huius usus fr. patri acquiritur, dominium apud filium f. remanet, d. §. Igitur. I hîc.

10. Quod filiofamilias suis laboribus vel prosperâ fortunâ accesserit, hoc ad alium non debet pervenire, d. §. Igitur. I. hîc.

11 In luctum re detractâ nemo facilè conjiciendus est, d. §. Igitur. I. hîc.

12. Parens emancipando liberos tertiam partem bonorum sibi retineat, d. §. Igitur. I. hîc.

13. Per emancipationem aliquid honoris filio accedit, §. Hoc quoq;. 2. hîc.

14. Per

14. *Per emancipationem sui juris fit filius*, d. §. Hoc quoque. 2. hîc.

15. *Honos per rerum diminutionem non est decurtandus*, d. §. Hoc quoque. 2. hîc.

16. *Parens dimidium usu fructus in bonis filii emancipati hodiè sibi retinet*, d. §. Hoc quoq;. 2. hîc.

17. *Quod servi ex traditione nanciscuntur, dominis acquiritur*, §. Item vobis. 3. hîc.

18. *Servi dominis ignorantibus & invitis acquirunt*, d. §. Item. 3. hîc.

19. *Servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest*, d. §. Item. 3. hîc.

20. *Si servus heres constitutus est, dominorum jussu hereditatem adire potest*, d. §. Item vobis. 3. hîc.

21. *Et dominis legatum per servos acquiritur*, d. §. Item. 3. hîc.

22. *Per servos non tantùm proprietas, sed & possessio acquiritur*, d. §. Item. 3. hîc.

23. *Per servos usucapio, & longi temporis possessio dominis accedit*, d. §. Item. 3. hîc.

24. *Servi, in quibus usumfructum habent, quicquid è re dominorum vel ex operis suis acquirunt, id dominis adjicitur*, §. De iis. 4 hîc.

25. *Si servus, in quem usumfructum alius habet, heres institutus sit, legatumve quid ei aut donatum, id domino proprietatis adquiritur*, d. §. De iis. hîc.

26. Bonæ fidei possessor servum usucapere potest d. §. De iis. 4 hîc.

27. Bonæ fidei possessor, cùm servum usuceperit, ex omnibus causis per eum sibi acquirere potest, d. §. De iis. 4 hîc.

28. Fructuarius usucapere non potest, d. §. De iis. 4. hîc.

29. Fructuarius non possidet, d. §. De iis. 4. hîc.

30. Fructuarius scit servum, in quo usumfructum habet, alienum esse, d. §. De iis. 4. hîc.

31. Per servos, in quos usumfructum quis habet, possessionem & proprietatem acquirit, d. § De iis. 4. hîc.

32. Per servos, quos bonâ fide quis possidet, proprietatem & possessionem sibi acquirit, d. §. De iis, 4. hîc.

33. Per liberam personam, quæ cui bonâ fide servit, proprietas & possessio acquiritur, d. §. De iis, 4. hîc.

34. Per liberos homines nobis acquiri non potest, excepto procuratore, §. Ex his. 5. hîc.

35. Nam per procurationem non solùm scientibus, sed & ignorantibus nobis acquiritur possessio, d. §. Ex his. 5. hîc.

36. Per alienos servos nulla ex causa nobis acquiri potest, d. §. Ex his. 5. hîc.

37. Procurator per possessionem dominium, ut & usu-

& usucapionem ad alium transfert, d. §. Ex his. §. hic.

38. *Iure legatorum & fidei commissorum, singulæ res etiam acquiruntur*, §. fin. h. c.

39. *Conjuncta in methodo quandoq; certam ob causam disjungenda sunt*, d. §. fin. hîc. ici: Opportunius.

40. *Naturâ quæ priora, priùs etiam proponenda sunt*, d. §. fin. hîc. ibi: Prius de hereditatibus. Et ibi: Prius est, ut de his dispiciamus, quæ ex testamento.

DE TESTAMENTIS ordinandis.

Tit. X.

TEstamentum ex eo appellatur, quòd testatio mentis sit.

1. Sed ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, olim quidem duo genenera Testamentorum in usu fuisse: quorũ altero in pace & ocio utebantur, quòd calatis comitiis appellabant: altero, cum in prælium exituri essent, quõd procinctum dicebatur. Accessit deinde tertium genus Testamentorũ: quod dicebatur peræs & libram:

scilicet quod per emancipationem, id est, imaginariam quandam venditionē agebatur, quinque testibus, & libripende, civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera testamentorum ex veteribus temporibus in desuetudinem abierunt. Quod verò per æs & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen partim & hoc in usu esse desiit.

2. ¶ Sed prædicta quidem nomina testamentorum ad jus civile referebantur, postea verò ex edicto prætoris forma alia faciendorum testamentorum introducta est. Jure enim honorario nulla emancipatio desiderabatur: sed septem testium signa sufficiebant, cùm jure civili signa testium non essent necessaria.

3. ¶ Sed cùm paulatim tam ex usu hominum, quàm ex constitutionum emendationibus cepit in unam consonantiam jus civile & prætorium jungi. Constitutum est, ut uno eodemq; tempore (quod jus civile quodammodo exigebat) septem testibus adhibitis, & subscriptione testium (quod ex constitutionibus inventum est, & ex edicto prætoris) signacula testamentis imponerentur: ita ut hoc jus tripertitum esse videatur; & testes qui-

quidem & eorum præsentia uno contextu testamenti celebrandi gratiâ, à jure civili descendant: subscriptiones autem testatoris & testium, ex sacrarum constitutionum observatione adhibeantur: signacula autem, & testium numerus, ex edicto prætoris. 4. ¶ Sed his omnibus à nostra constitutione propter testamentorum sinceritatem, ut nulla fraus adhibeatur, hoc additum est: ut per manus testatoris vel testium nomen heredis exprimatur, & omnia secundum illius constitutionis tenorem procedant.

5. ¶ Possunt autem omnes testes & uno anulo signare testamentum. Quid enim si septem anuli una sculptura fuerint, secundum quod Papiniano visum est? Sed & alieno quoque anulo licet signare [testamentum.] 6. ¶ Testes autem adhiberi possunt ii, cum quibus testamenti factio est. Sed neque mulier, neque impubes, neque servus, neque furiosus, neque mutus, neque surdus, neque is, cui bonis interdictum est, neque ii, quos leges jubent improbos intestabilésque esse: possunt in numerum testium adhiberi.

7. ¶ Sed cùm aliquis ex testibus testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem servus apparuit: tam divus

divus Hadrianus Catoni, quàm postea divi Severus & Antoninus rescripserunt, subvenire se ex sua liberalitate testamento: ut sic habeatur [firmum,] ac si ut oportebat, factum esset: cùm eo tempore, quo testamentum signaretur, omnium consensu hic testis liberi loco fuerit: neque quisquam esset, qui status ei quæstionem moveret. 8. §. Pater, nec non is, qui in potestate eius est, item duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, utique testes in uno testamento fieri possunt: quia nihil nocet, ex una domo plures testes alieno negocio adhiberi.

9. §. In testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est. Sed si filius familias de castrensi peculio post missionem faciat testamentum, nec pater eius rectè adhibetur testis, nec is, qui in potestate eiusdem patris est. Reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium. 10. ¶ Sed neque heres scriptus; neque is, qui in potestate eius est, neque pater eius, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: quia hoc totum negocium, quod agitur testamenti ordinandi gratiâ, creditur hodie inter testatorem & heredem agi. Licet autem totum jus tale conturbatum fuerat, & veteres quidem

dem familiæ emptorem, & eos, qui per potestatem ei conjuncti fuerant, à testamentariis testimoniis repellebant: heredi [autem,] & iis, qui per potestatem ei conjuncti fuerant, concedebant testimonia in testamentis præstare: licet ii, qui id permittebant, hoc jure minimè abuti eos debere suadebant: tamen nos eandem observationem corrigentes, & quod ab illis suasum, est in legis necessitatem transferentes, ad imitationem pristini familiæ emptoris, meritò nec heredi, (qui imaginem vetustissimi familiæ emptoris obtinet) neque aliis personis, quæ ei (ut dictum est) conjunctæ sunt, licentiam concedimus, sibi quodammodo testimonia præstare. Ideóque nec eiusmodi veteres constitutiones nostro Codici inseri permisimus.

11. ¶ Legatariis autem & fideicommissariis; quia non juris successores sunt, & aliis personis eis conjunctis testimonium non denegamus: imò in quadam nostra constitutione & hoc specialiter eis concessimus. Et multò magis iis, qui in eorum potestate sunt, vel qui eos habent in potestate huiusmodi licentiam damus.

12. ¶ Nihil autem interest, testamentum in tabulis, an in chartis, membranisve, vel in alia materia fiat.

13. ¶ Sed

13. ¶ Sed & unum testamentum pluribus codicibus conficere quis potest, secundùm obtinentem tamen observationem omnibus factis. Quod interdum etiam necessarium est: veluti si quis navigaturus & secum ferre, & [domi] relinquere judiciorum suorum contestationem, velit, vel propter alias innumerabiles causas, quæ humanis necessitatibus imminent.

14. ¶ Sed hæc quidem de testamentis, quæ scriptis conficiuntur, [sufficiunt,] si quis autem sine scriptis voluerit ordinare jure civili testamentum: septem testibus adhibitis, & suâ voluntate coràm eis nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum jure civili, firmúmque constitutum.

REGULÆ JURIS ex Tit. X. excerptæ.

1. *Testamentum de testatoris mente testatur*, Princ. h. c.

2. *Antiquitas non debet penitùs ignorari*, § Sed ut. 1. h. c.

3. *Iura multa in desuetudinem abierunt*, d. §. Sed ut. 1. h. c.

4. *Quandoq; jus civile prætorium, & constitutiones conspirant*, §. Sed cùm paulatim. 3. hic.

5. *Sin-*

5. *Sinceritas testamentorum, ne ulla fraus adhibeatur, meritò custodienda est*, §. Sed his. 4. hîc.

6. *In testamento per manus testatoris vel testium nomen heredis exprimendum est*, d. Sed his. 4. hîc.

7. *Omnes testes uno annulo possunt signare testamentum*. §. Possunt. 5. hîc.

8. *Testi alieno quoq; annulo licet signare testamentum*, §. Possunt. 5. hîc.

9. *Testes in testamento adhiberi possunt ii, cum quibus testamenti factio est*, §. Testes. 6. hîc.

10. *Mulier non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

11. *Impubes non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

12. *Servus non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

13. *Furiosus non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

14. *Mutus non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

15. *Surdus non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes. 6. hîc.

16. *Is, cui bonis interdictum est, non potest esse testis in testamento*, d. §. Testes autem. 6. hîc.

17. *Hi,*

17. Hi quos leges jubent improbos intestabilesq; esse non possunt esse testes in testamento, d. §. Testes. 6. hîc.

18. Si testis pro libero habitus, quamvis servus fuerit, subscripserit, firmum omninò reputabitur testamentum, §. Sed cùm 7. h. c.

19. Pater & is, qui in eius potestate est, testes in uno Testamento fieri possunt, §. Pater. 8. hîc.

20. Duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes in uno testamento fieri possunt, §. Pater. 8. h. c.

21. Nihil nocet ex una domo plures testes alieno negocio adhiberi, d. §. Pater. 8. hîc.

22. In testibus debet esse is, qui in potestate testatoris est. §. In testib. 9. hîc.

23. In testamento filiifamilias de Castrensi peculio reprobatum est domesticum testimonium, §. In testibus 9. hîc.

24. Heres scriptus non potest esse testis in eo testamento, in quo heres scriptus est, § Sed neq; 10. hîc.

25. Qui in potestate heredis scripti est, non potest esse testis in eo testamento, quo in heres scriptus est, d. §. § ed neq;. 10. h. c.

26. Pater heredis scripti, qui eum in potestate habet, non potest esse testis in eo testamento, d. §. Sed neq;. 10. h. c.

27. Fra-

27. *Fratres, qui in patris scripti heredis potestate sunt, non possunt esse testes in eo testamento, in quo heres ille scriptus est*, d. §. Sed neque. 10. hîc.

28. *Totum negocium, quod agitur testamenti ordinandi gratiâ, creditur hodie inter testatorem & heredem agi*, d. §. Sed neq; 10. hîc.

29. *Iura confusa & conturbata corrigenda sunt* d. §. Sed neq;. 10. hîc.

30. *Consilium à legis necessitate distinguendum est*, d. §. Sed neq;. 10. hîc. in fin.

31. *Constitutiones inutiles juri non sunt inferendæ*, d. § . Sed neq;. 10. hîc. in fin.

32. *Legatarii & fideicommissarii non sunt juris successores*, §. Legatariis. 11. hîc.

33. *Legatariis & fideicommissariis in testamento testimonium non denegatur*, d. §. Legatariis. 11. hîc.

34. *Qui in potestate legatarii vel fideicommissarii sunt, à testimonio non repelluntur*, §. Legatariis, 11. hîc.

35. *Qui legatarios aut fideicommissarios habent in potestate, à testimonio non repelluntur*, §. Legatariis. 11. hîc.

36. *Testamentum variâ in materia describi potest*, §. Nihil autem. 12. hîc.

37. *Vnum Testamentum pluribus Codicibus conficere quis potest*, §. Sed & unum. 13. hîc.

38. *Humanis necessitatibus sæpè aliquid indulgendum est*, d. §. Sed & unum. 13. hîc.

39. *In testamento sine scriptis septem testes adhibendi sunt, & voluntas coràm illis nuncupanda*, §. fin. hîc.

DE MILITARI TESTAMENTO.

TIT. XI.

SUpra dicta diligens observatio in ordinandis testamentis, militibus propter nimiam imperitiam eorùm, constitutionibus [principalib.] remissa est. Nam quamvis ii neq; legitimùm numerùm testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solennitatem observaverint: rectè nihilominus testantur, videlicet cùm in expeditionibus occupati sunt: quod meritò nostra constitutio introduxit. Quoquo enim modo voluntas eius suprema inveniatur, sive scripta, sive sine scriptura: valet testamentum ex voluntate eius. Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum necessitatem in aliis locis vel suis ædibus degunt: minimè ad vendicandum tale privilegium adjuvantur: sed testari qui-

quidem, etsi filiifamiliarum sint, propter militiam conceduntur: jure tamen communi eádem observatione & in eorum testamentis adhibenda, quam in testamentis paganorum proximè exposuimus.

1. ¶ Planè de testamentis militum divus Trajanus Catilio Severo ita rescripsit. Id privilegium, quod militantibus datum est, ut quoquo modo facta ab his testamenta rata sint: sic intelligi debet, ut utique prius constare debeat, testamentum factum esse, quod & sine scriptura, & à non militantibus fieri potest. Si ergo miles, de cuius bonis apud te quæritur, convocatis ad hoc hominibus, ut voluntatem suam testaretur, ita loquutus est, ut declararet, quem vellet sibi heredem esse, & cui libertatem tribueret: potest videri sine scripto hoc modo esse testatus, & voluntas eius rata habenda est. Cæterùm (si ut plerumque sermonibus fieri solet) dixit alicui, *ego te heredem facio*, vel *bona mea tibi relinquo*: Non oportet hoc pro testamento observari. Nec ullorum magis interest, quàm ipsorum, quibus id privilegium datum est, eiusmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui ad-

firmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui visum sit, & per hoc vera judicia subverterentur.

2. ¶ Quinimò & mutus & surdus miles testamentum facere potest. 3. ¶ Sed hactenus hoc illis à principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt. Post missionem verò veterani, vel extra castra [alii,] si faciant adhuc militantes testamentum, communi omnium civium Romanorum jure id facere debent. Et quod in castris fecerint testamentum, non communi jure, sed quomodo voluerint: post missionē intra annum tantùm valebit. Quid ergò, si intra annum quis decesserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit? An quasi militis testamentum valeat? Et placet valere quasi militis. 4. ¶ Sed & si quis ante militiam non jure fecit testamentum, & miles factus, & in expeditione degens resignavit illud, & quædam adjecit, sive detraxit, vel aliàs manifesta est militis voluntas hoc valere volentis: dicendum est valere hoc testamentum, quasi ex nova militis voluntate.

5. ¶ Deniq; & si in adrogationem datus fuerit miles, vel filiusfamilias emancipatus est, testamentum eius quasi ex nova militis volun-

voluntate valet, nec videtur capitis deminutione irritum fieri.

6. ¶ Sciendum tamen est, quòd cùm ad exemplum castrensis peculii, tam anteriores leges, quàm principales constitutiones quibusdam quasi castrensia dederant peculia, & horum quibusdam permissum fuerat etiam in potestate degentibus testari: nostra [id] constitutio latius extendens, permiserit omnibus in huiusmodi peculiis testari quidem, sed jure communi. Cuius constitutionis tenore perspecto, licentia est nihil eorum, quæ ad præfatum jus pertinent, ignorare.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XI. excerptæ.

1. *Prædicta diligens observatio militibus propter nimiam imperitiam in testamentis remissa est,* Princ. hîc.

2. *Milites quamvis neque legitimum numerum testium adhibuerint, neque aliam testamentorum solennitatem observaverint, rectè nihilominus testantur.* Princ. h. c.

3. *Ex voluntate militis sine solennitatibus valet testamentum,* Pr. h. c.

4. *Privilegium hoc militare occupatos in expeditionibus tantùm respicit,* Pr. hîc.

5. Hinc qui extra expeditionum necessitatem degunt, hoc non juvantur, Pr. hîc.

6. Milites, etiamsi filiifamilias sint, jure communi testari propter militiam non prohibentur, d. princ. hîc.

7. A militibus quoquo modo facta testamenta rata sunt, §. Planè. 1. hîc.

8. Prius tamen constare debet, testamentum factum esse, d. §. Planè. 1. hîc.

9. Sermones jactabundi & varii hîc non curantur, d. §. Planè. v. Sermonibus. hîc.

10. Non ullorum magis interest, quàm ipsorum, quibus id privilegium datum est, d. §. Planè. 1. hîc.

11. Testes fallaces facilè inveniuntur, d. §. Planè. 1. hîc.

12. Vera judicia per mendacia non sunt subvertenda, d. §. Planè. 1. hîc.

13. Miles mutus & surdus testamentum facere potest, §. Quinimò. 2. hîc.

14. Militibus sine magnis solennitatibus testari licet, quatenus militant, & in castris degunt, § Sed hactenus. 3. hîc.

15. Post missionem, si faciant testamentum, communi jure omnium Romanorum id facere debent, d. §. Sed hactenus. 3. hîc.

16. Ante militiam factum non jure testamentum, à milite facto corroboratur, & valet, quasi ex

si ex nova militis voluntate, §. Sed & si quis. 4. hîc.

17. *Testamentum militis capitis diminutione minimâ irritum non fit*, § Deniq;. 5. hîc.

18. *Qui bona habent castrensia, etiamsi in potestate degant, de illis testari possunt*, §. final. hîc.

19. *Qui bona habent quasi castrensia, etiam de illis testari possunt, sed jure communi*, d. §. fin. hîc.

QVIBUS NON EST permissum facere Testamentum.

TIT. XII.

NOn tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ii, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent: adeò quidem, ut quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis jure testari possunt: exceptis iis, quos antea enumeravimus, & præcipuè militibus, qui in potestate parentũ sunt, quibus de eo, quod in castris adquisierunt, permissum est ex constitutionib. Principũ testamentum facere. Quod quidẽ jus ab initio tantùm militantib. datum

est, tam ex auctoritate divi Augusti, quàm Nervæ, nec non optimi Imperatoris Trajani: postea verò subscriptione divi Hadriani: etiam dimissis à militia, id est, veteranis concessum est. Itaque si quidem fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum, quem heredem reliquerunt, si verò intestati decesserint, nullis liberis vel fratribus superstitibus: ad parentes eorum jure communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus: quod in castris adquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse; neque patris creditores id vendere, vel aliter inquietare. Neque patre mortuo cum fratribus commune esse: sed scilicet proprium eius esse, qui id in castris adquisierit: quanquã jure civili omnium qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac servorum peculia in bonis dominorum numerantur: exceptis videlicet iis, quæ ex sacris constitutionibus, & præcipuè nostris propter diversas causas non adquiruntur. Præter hos igitur, qui castrense peculium, vel quasi castrense habent, si quis alius filius familias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit.

1. ¶ Præterea testamentum facere non pos-

possunt impuberes: quia nullum eorum animi judicium est. Item furiosi; quia mente carent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes: aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est: jure testati esse videntur: certè eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamentum rectè factum, neque ullum aliud negocium rectè gestum, postea furor interveniens perimit.

2. ¶ Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest. Sed id, quod ante fecerit, quàm interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

3. Item surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Utique autem de eo surdo loquimur, qui omninò non exaudit, non qui tardè exaudit. Nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. Sæpè enim etiam literati & eruditi homines variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Unde nostra constitutio etiam his subvenit, ut certis casibus & modis secundùm normam eius possint testari, aliáque facere, quæ eis permissa

sunt. Sed si quis post testamentum factum, adversâ valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit, ratum nihilominus manet eius testamentum. 4. ¶ Cæcus autem non potest facere testamentum, nisi per observationem, quam lex divi Justini patris nostri introduxit.

5. ¶ Eius, qui apud hostes est testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit. Sed quod, dum in civitate fuerat, fecit: sive redierit, valet jure postliminii: sive illic decesserit, valet ex lege Cornelia.

REGULÆ JURIS ex Tit. XII. excerptæ.

1. *Non omnibus licet facere testamentum*, Prin. hîc.

2. *Illi, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent*, Princ. hîc.

3. *Militibus de eo, quod in castris acquisiverunt, permissum est testamentum facere*, d. princip. hîc.

4. *Hoc jus testamenti faciendi competit etiam militibus à militia dimissis*, d. pr. hîc.

5. *Milites si fecerint de castrensi peculio testamentum, ad eum pertinebit, quem heredem reliquerunt*, d. princ. hîc.

6. Mili-

6. *Milites si intestati decesserint, nullis liberis vel fratribus superstitibus, ad parentes eorum jure communi pertinebit*, d. princ. h. c.

7. *Quod in castris acquisivit miles, qui in potestate patris est, ipse pater ei adimere non potest*, d. Princ. h. c.

8. *Quod in castris acquisivit miles, id patris creditores vendere, vel aliter inquietare non possunt*, Princ. hîc.

9. *Quod in castris acquisivit miles, mortuo patre cum fratribus non est commune*. d. pr. hîc.

10. *Quod in castris acquisivit miles, id eius, qui acquisivit, planè & plenè proprium est*, d. pr. h. c.

11. *Iure civili, omnium qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computantur, ac servorum peculia in bonis dominorum numerantur*, d. pr. hîc.

12. *Hinc: Si quis alius extra militem filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est*, d. princ. in fine.

13. *Impuberes non possunt facere testamentum*, §. Præterea. 1. hic.

14. *Impuberum nullum animi judicium est*, d. §. Præterea. 1. hîc.

15. *Furiosi non possunt facere testamentum*, d. §. Præterea 1. hîc.

16. *Furiosi mente carent*, d. §. Præterea. 1. hîc.

17. Fu-

17. *Furiosi, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati sunt*, d. §. Præterea. 1. hîc.

18. *Testamentum furiosorum, quod ante furorem fecerunt, rectè valet*, d. §. Præterea test. 1. hîc.

19. *Neq; testamentum rectè factum, neq; ullum aliud negocium rectè gestum, postea furor interveniens perimit*, d. § Præterea. 1. hîc.

20. *Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest*, §. Item. 2. hîc.

21. *Testamentum quod prodigus ante fecit, quàm interdictio bonorum suorum ei facta est, ratum est*, d. §. Item. 2. hîc.

22. *Surdus & mutus non semper testamentum facere possunt*, §. Item surdus. 3. hîc.

23. *Sæpè literati & eruditi homines variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt*, d. §. Item surdus. 3. hîc.

24. *Si quis post testamentum factum adversâ valetudine aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit, ratum nihilominus manet testamentum* d. §. Item surdus. 3. hîc.

25. *Cæcus, nisi certo modo potest facere testamentum*, §. Cæcus. 4. hîc.

26. *Eius, qui apud hostes est, testamentum, quod*

quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit, §. fin. hîc.

27. *Testamentum quod quis fecit, dum in civitate fuit, cum redierit, valet jure postliminii*, d. § fin. hîc.

28. *Testamentum quod quis fecit, dum in civitate fuit, si apud hostes decesserit, valet ex lege Cornelia*, d. §. fin. h. c.

DE EXHEREDATIONE.

TIT. XIII.

NOn tamen, ut omninò valeat testamentũ, sufficit hæc observatio, quam suprà exposuimus: sed qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem instituat, vel exheredem eum nominatim faciat: alioqui si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur: adeò quidem, ut si vivo patre, filius mortuus sit, nemo heres, ex testamento existere possit, quia scilic. ab initio non constiterit testamentum. Sed non ita de filiabus, & aliis per virilem sexum descendentibus liberis utriusque sexus antiquitati fuerat observatum: sed si non fuerant scripti heredes scriptæve, vel exheredati exheredatæve: testamen-

stamentum quidem non infirmabatur, jus tamen adcrescendi eis ad certam portionem præstabatur. Sed nec nominatim eas personas exheredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cæteros hoc facere. Nominatim autem quis exheredari videtur, sive ita exheredetur, *Titius filius meus exheres esto*: sive ita, *filius meus exheres esto*, non adjecto proprio nomine, scilicet si alius filius non exstet.

1. ¶ Posthumi quoque liberi vel heredes instituti debent, vel exheredari. Et in eo par omnium conditio est, quòd & filio posthumo, & quolibet ex cæteris liberis, sive fœminini sexus, sive masculini, præterito: valet quidem testamentum, sed postea adgnatione posthumi sive posthumæ rumpitur, & eâ ratione totum infirmatur. Ideóque si mulier, ex qua posthumus aut posthuma sperabatur, abortum fecerit: nihil impedimento est scriptis heredibus ad hereditatem adeundam. Sed fœminini quidē sexus personæ vel nominatim, vel inter cæteros exheredari solebant: dum tamen si inter cæteros exheredarentur: aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ esse per oblivionem. Masculos verò posthumos, id est, filios & deinceps, placuit non aliter rectè exheredari, nisi

nisi nominatim exheredarentur: hoc scilicet modo, *quicunq; mihi filius genitus fuerit, exheres esto.*

1. ¶ Posthumorum autem loco sunt & hi, qui in sui heredis locum succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui heredes, ut ecce si quis filium, & ex eo nepotem neptémve in potestate habeat: quia filius gradu præcedit, is solus jura sui heredis habet, quamvis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint. Sed si filius eius vivo eo moriatur, aut qualibet aliâ ratione exeat de potestate eius: incipit nepos neptísve in eius locum succedere, & eo modo jura suorum heredum quasi agnatione nanciscuntur. Ne ergò eo modo rumpatur eius testamentum: sicut ipsum filium vel heredem instituere, vel nominatim exheredare debet testator, ne non jure faciat testamentum: ita & nepotem neptémve ex filio necesse est ei vel heredem instituere, vel exheredare: Ne fortè eo vivo filio mortuo succedendo in locum eius nepos neptísve, quasi adgnatione rumpat testamentum. Idque lege Juliâ Velleâ provisum est, in qua similis exheredationis modus, ad similitudinem posthumorum demonstratur.

3. ¶ Emancipatos liberos jure civili neque

neque heredes instituere, neque exheredare necesse est: quia non sunt sui heredes. Sed prætor omnes tam fœminini sexus, quàm masculini, si heredes non instituantur, exheredari jubet: virilis sexus nominatim: fœminini verò inter cæteros, quia si neque heredes instituti fuerint, neq; ita (ut diximus) exheredati permittit eis prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem.

4. ¶ Adoptivi liberi quamdiu sunt in potestate patris adoptivi, eiusdem juris habentur, cuius sunt justis nuptiis quæsiti. Itaque heredes instituendi vel exheredandi sunt secundum ea, quæ de naturalibus exposuimus. Emancipati verò à patre adoptivo, neque eo jure civili, neque eo jure, quod ad edictum prætoris attinet, inter liberos connumerantur. Quâ ratione accidit, ut ex diverso (quod ad naturalem parentẽ attinet) quamdiu quidem sunt in adoptiva familia, extraneorum numero habeantur: ut eos neque heredes instituere, neq; exheredare necesse sit. Cùm verò emancipati fuerint ab adoptivo patre: tunc incipiant in ea causa esse, in qua futuri essent, si à naturali patre emancipati fuissent.

5 ¶ Sed hæc quidem vetustas introducebat. Nostra verò constitutio inter masculos & fœ-

& fœminas in hoc jure nihil interesse existimans: quia utraq; persona in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur, & lege antiquâ [duodecim tabularum] omnes similiter ad successionem ab intestato vocabantur, quod & prætores postea secuti esse videntur: ideò simplex ac simile jus, & in filiis & in filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem sexum personis, non solùm jam natis, sed etiam posthumis, introduxit: ut omnes sive sui, sive emancipati sint, vel heredes instituantur, vel nominatim exheredentur: & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda, & hereditatem auferendam, quem filii sui vel emancipati habent, sive jam nati sint, sive adhuc in utero constituti, postea nati sint. Circa adoptivos autem [filios] certam induximus divisionem, quæ in nostra constitutione, quam super adoptivis tulimus, continetur.

6. ¶ Sed si in expeditione occupatus miles testamentum faciat, & liberos suos jam natos, vel posthumos nominatim non exheredaverit, sed [silentio] preterierit, non ignorans, an habeat liberos: silentium eius pro exheredatione nominatim facta valere, constitutionibus Principum cautum est.

7. ¶ Mater, vel avus maternus, necesse non habent liberos suos, aut heredes instituere, aut exheredare: sed possunt eos silentio omittere. Nam silentium matris, aut avi materni, & cæterorũ per matrem ascendendentium tantum facit, quantum exheredatio patris. Neque enim matri filium filiámve, neque avo materno nepotem neptémve ex filia, si eum eámve heredem non instituat, exheredare necesse est: sive de jure civili quæramus, sive de edicto prætoris, quo [prætor] præteritis liberis contra tabulas bonorum possessionem permittit: sed aliud eis adminiculum servatur, quod paulò pòst vobis manifestum fiet.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIII. excerptæ.

1. *Qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem instituat, vel exheredem nominatim faciat*, Princ. hîc.

2. *Præteritio filii vitiat testamentum*, Princ. hîc.

3. *Si vivo patre filius præteritus mortuus sit, nemo heres ex eo testamento existere potest*, d. prin. h.c.

4. Ab

4. *Ab initio quod non constitit testamentum, post non convalescit*, d. pr. hic.

5. *Posthumi liberi vel heredes institui debent, vel exheredari*, §. Posthumi. 1. hic.

6. *Præteritio posthumorum testamentum non reddit inutile*, d. §. Posthumi. 1. hic.

7. *Agnatione posthumorum testamentum rumpitur*, d. §. Posthumi. 1. hic.

8. *Si mulier, ex qua posthumus speratur, abortum fecerit, nihil impedimento est scriptis heredibus ad hereditatem adeundam*, d. §. Posthumi. 1. h. c.

9. *Posthumæ præteritæ olim aliquid legandum erat*, d. §. Posthumi. 1. h. c.

10. *Masculi posthumi nominatim exheredandi*, §. Posthumi. 1. h. c.

11. *Posthumorum loco sunt & hi, qui in sui heredis locum succedendo fiunt parentibus sui heredes*, §. Posthumorum. 2. hic.

12. *Filius gradu præcedit nepotes*, d. §. Posthumorum. 2. hic.

13. *Suus heres est is, qui est in potestate proximus*, d. §. Posthumor. 2. h. c.

14. *Mortuo filio nepos in locum eius succedit, & eo modo jura sua heredis quasi agnatione nanciscitur*, d. §. Posthumorum. 2. hic.

15. *Nepotem ex filio necesse est vel heredem instituere, vel exheredare*, d. §. Posthumor. 2. h. c.

16. *Nepos filio mortuo succedendo in locum eius rumpit testamentum*, d. §. Posthumorum. 2. hîc.

17. *Emancipatos liberos jure civili neq; heredes instituere, neq; exheredare necesse est*, §. Emancipatos. 3. hîc.

18. *Prætor emancipatos si heredes non instituat, exheredari jubet*, d. §. Emancipatos. 3. hîc.

19. *Emancipatis si nec heredes instituti, nec exheredati, promittit, prætor contra tabulas testamenti bonorum possessionem* d. §. Emancipatos. 3. hîc.

20. *Adoptivi liberi, quamdiu sunt in potestate patris adoptivi, eiusdem juris habentur, cuius sunt justis nuptiis quæsiti*, §. Adoptivi. 4 hîc.

21. *Adoptivi liberi heredes instituendi sunt, vel exheredandi* d. §. Adoptivi. 4. hîc.

22. *Emancipati à patre adoptivo inter liberos non connumerantur*, d. §. Adoptivi. 4. hîc.

23. *Adoptivi, quamdiu sunt in adoptiva familia (quoad naturalem parentem) extraneorum numero habentur*, §. Adoptivi. 4 hîc.

24. *Inter masculos & fœminas hoc in jure testamenti nihil interest*, §. Sed hæc quidem. 5. hîc.

25. *Et masculus & fœmina in hominum procreatione simili naturæ officio fungitur*, d. §. Sed hæc quidem. 5. hîc.

26. Mi-

26. *Miles in expeditione si liberos suos praterierit, silentium eius pro exheredatione nominatim facta valet*, §. Sed si. 6. hic.

27. *Mater vel avus maternus necesse non habent liberos suos aut heredes instituere, aut exheredare*, §. Mater. 7. hic.

28. *Silentium matris aut avi materni tantum facit, quantum exheredatio patris*, d. §. Mater. 7. hic.

DE HEREDIBUS INSTITUENDIS.

TIT. XIV.

HEredes instituere permissum est, tam liberos homines, quàm servos: & tam proprios, quàm alienos. Proprios autem olim quidem secundum plurium sententias non aliter, quàm cum libertate, rectè instituere licebat, hodiè verò etiam sine libertate, ex nostra constitutione heredes eos instituere permissum est. Quod non per innovationem induximus, sed quoniam equius erat, & Atilicino placuisse Paulus suis libris, quos tam ad Masurium Sabinum, quàm ad Plautium scripsit, refert. Proprius autem ser-

vus etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet, alio usumfructum habente. Et tamen casus, in quo nec cum libertate utiliter servus à domina heres instituitur, ut constitutione divorũ Severi & Antonini cavetur, cuius verba hęc sunt: Servum adulterio maculatum, non jure testamento manumissum ante sententiã ab ea muliere videri, quæ rea fuerat eiusdẽ criminis postulata, rationis est. Quare sequitur, ut in eundem à domina collata heredis institutio, nullius momenti habeatur. Alienus servus etiam is intelligitur, in quo usumfructum testator habet.

1. Servus autem à domino suo heres institutus, siquidem in eadem causa manserit: fit ex testamento liber herésque ei necessarius. Si vero à vivo testatore manumissus fuerit, suo arbitrio adire hereditatem potest: quia non fit heres necessarius, cùm utrumque ex domini testamento non consequatur. Quòd si alienatus fuerit: jussu novi domini adire hereditatem debet, & eâ ratione per eum dominus fit heres. Nam ipse alienatus, neque liber, neque heres esse potest, etiamsi cum libertate heres institutus fuerit. Destitisse enim à libertatis datione videtur dominus, qui eum alienavit. Alienus quoque servus heres insti-

institutus, si in eadem causa duraverit, jussu eius domini adire hereditatem debet. Si verò alienatus fuerit ab eo, aut vivo testatore, aut post mortem eius, antequam adeat, debet jussu novi domini adire. At si manumissus est vivo testatore vel mortuo antequam adeat, suo arbitrio adire potest hereditatem.

2. ¶ Servus etiam alienus post domini mortem rectè heres instituitur: quia & cum hereditariis servis est testamẽti factio. Nondum enim adita hereditas personæ vicem sustinet, non heredis futuri, sed defuncti: cùm etiam eius, qui in utero est, servus rectè heres instituatur.

3. Servus [autem] plurium, cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus heres unicuique dominorum, cuius jussu adierit, pro portione dominii adquirit hereditatem. 4. ¶ Et unum hominem, & plures usque in infinitum, quot quis heredes velit, facere licet. 5. ¶ Hereditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina, ab uncia usque ad assem hęc, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx. Non autem utiq; [semper] duodecim uncias esse oportet. Nam tot unciæ assem efficiunt,

quot testator voluerit. Et si unum tantùm quis ex semisse (verbi gratiâ) heredem scripserit, totus as in semisse erit. Neque enim idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere potest: nisi sit miles, cuius tota voluntas in testando spectatur. Et è contrario potest quis in quoscunque voluerit, plurimas uncias suam hereditatem dividere. 6. ¶ Si plures instituantur heredes: ita demùm in hoc casu partium distributio necessaria est, si nolit testator eos ex æquis partibus heredes esse. Satis enim constat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos heredes esse. Partibus autem in quorundam personis expressis, si quis alius sine parte nominatus erit: si quidem aliqua pars assi deerit: ex ea parte heres sit. Et si plures sine parte scripti sunt omnes in eandem partem concurrunt. Si verò totus as completus sit: ii, qui nominatim expressas partes habent, in dimidiam partem vocantur: & ille vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec interest, primus, an medius, an novissimus, sine parte heres scriptus sit. Ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

7. ¶ Videamus, si pars aliqua vacet, nec tamen quisquam sine parte sit heres, institutus, quid juris sit, veluti si tres ex quartis partibus

tibus heredes scripti sunt. Et constat vacantem partem singulis tacitè pro hereditaria parte accedere, & perinde haberi, ac si ex tertiis partibus heredes scripti essent, & ex diverso, si plures heredes scripti in portionibus sint: tacitè singulis decrescere: ut si (verbi gratiâ) quatuor ex tertiis partibus heredes scripti sint, perinde habeantur, ac si unusquisque ex quarta parte heres scriptus fuisset.

8. ¶ Et si plures unciæ, quàm duodecim distributæ sint: is, qui sine parte instituetus est, quod dupondio deest, habebit. Idemque erit, si dupondius expletus sit, quæ omnes partes ad assem postea revocantur, quamvis sint plurium unciarum. 9. ¶ Heres & purè & sub conditione instituì potest: ex certo tempore, aut ad certum tempus non potest: veluti, *post quinquennium quàm moriar*, vel *ex calendis illis*, vel *usq; ad calendas illas heres esto*. Deniq; diem adjectum haberi pro supervacuo placet: & perinde esse, ac si purè heres institutus esset.

10. ¶ Impossibilis conditio in institutionibus & legatis, nec non in fideicommissis & libertatibus, pro non scripta habetur.

11. ¶ Si plures conditiones in institutionibus adscriptæ sunt: siquidem conjunctim,

ut puta, *si illud & illud factum fuerit*: omnibus parendum est, si separatim, veluti, *si illud aut illud factum erit*: cuilibet [conditioni] obtemperare satis est. 12. ¶ Ij, quos nunquam testator vidit, heredes instituí possunt. Veluti si fratris filios peregrinantes ignorans qui essent, heredes instituerit. Ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIV. excerptæ.

1. *Liberos homines heredes instituere permissum est*, Princip. hîc.

2. *Servos tam proprios, quàm alienos heredes instituere permissum est*, d. pr. hîc.

3. *Servi proprii olim cum libertate tantùm instituebantur*, d. princ. hîc.

4. *Servi proprii hodiè sine libertate heredes instituí possunt*, d. princ. hîc.

5. *Non tam innovatio, quàm æquitas in jure inducendo attendenda est*, d. pr. hîc.

6. *Icti in jure condendo non sunt prætereundi*, d. princ. hîc.

7. *Proprius servus & is intelligitur, in quo nudam proprietatem testator habet*, d. principio hîc.

8. *Servus adulterio maculatus à domina, quæ eius-*

eiusdem criminis rea postulata est, heres institui non potest, d. pr. hîc.

9. Et in jure rationis dictamen non planè seponendum est, d. princ. hîc.

10. Servus, in quo usumfructum testator habet, alienus est, d pr. in fin. hic..

11. Servus à domino suo heres institutus, si in ea causa manserit, fit ex testamento liber, heresq; necessarius, §. Servus. 1. hîc.

12. Servus à vivo testatore manumissus, suo arbitrio adire hereditatem potest, d. § Servus. 1. hîc.

13. Servus alienatus à domino, neque liber, neq; heres esse potest, d. §. Servus. 1. hîc.

14. Hinc: servus alienatus jussu novi domini hereditatem adire debet, d. Servus. 1. hîc.

15. Dominus qui alienavit servum, à libertatis datione destitisse videtur, d. §. Servus. 1. hîc.

16. Alienus servus heres institutus jussu sui domini hereditatem adire debet, d. §. Servus. 1. hîc.

17. Alienus servus alienatus à domino antequam hereditatem adeat, jussu novi domini debet adire, d. §. Servus. 1. hîc.

18. Alienus servus manumissus vivo testatore vel mortuo antequam adeat, suo arbitrio adire potest hereditatem, d. §. Servus. in fin. hîc.

19. Servus alienus post domini mortem rectè heres instituitur, §. Servus autem. 2. hîc.

20. Cum hereditariis servis etiam testamenti factio est, d. §. Servus a. 2. hîc.

21. Non

21. *Non adita hereditas personæ vicem sustinet* d. §. Servus. 2. hîc.

22. *Eius, qui in utero est, servus, rectè heres instituitur*, §. Servus. 2. hîc.

23. *Servus plurium cum quibus testamenti factio est, ab extraneo institutus heres unicuiq; dominorum, cuius jussu adierit pro portione acquirit hereditatem*, §. Servus. 3. hîc.

24. *Vnum hominem & plures usque in infinitum heredes facere quis potest*, §. unum. 4. hîc.

25. *Hereditas in duodecim uncias dividitur*, §. Hereditas. 5. hîc.

26. *Hereditatis non semper 12. uncias esse oportet*, d. §. Hereditas. 5. hîc.

27. *Idem ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere non potest*, d. §. Hereditas. 5. hîc.

28. *Miles potest testatus & intestatus ex parte discedere*, d. §. Hereditas. 5. hîc.

29. *Militis sola voluntas in testando spectatur*, §. Hereditas. in fin.

30. *Nullis partibus expressis heredes scripti sunt ex æquis partibus*, §. Si plures. 6. hîc.

31. *Partibus expressis testatoris voluntas semper tamen inspicienda est*, d. §. Si plures. 6. hîc.

32. *Non interest primus, medius an novissimus sine parte heres scriptus est*, d. §. Si plures. 6. hîc.

33. He-

33. *Heredi sine parte scripto ea pars data intelligitur, quæ vacat*, d. §. Si plures. 6. hîc.

34. *Pars vacans singulis tacitè pro hereditaria parte accedit*, §. Videamus. 7. hîc.

35. *Testator plures, quàm duodecim uncias, suæ hereditatis constituere potest*, §. Et si plures. 8. hîc.

36. *Plures tamen unciæ ad assem consvetum revocandæ sunt*, §. Et si plures. 8. hîc.

37. *Heres & purè & cum conditione institui potest*, §. Heres. 9. hîc.

38. *Ex certo tempore aut ad certum tempus heres institui non potest*, d. §. Heres. 9. hîc.

39. *Dies adjectus habetur pro supervacuo*, d. §. Heres. 9. hîc.

40. *Dies adjectus perinde est, ac si purè heres institutus esset*, d. §. Heres. 9. hîc.

41. *Impossibilis conditio in institutionibus pro non scripta habetur*, §. Impossibilis. 10. hîc.

42. *Impossibilis conditio in legatis pro non scripta habetur*, d. § Impossibilis. 10. hîc.

43. *Impossibilis conditio in fideicommissis pro non scripta habetur*, d. §. Impossibilis. 10. hîc.

44. *Impossibilis conditio in libertatibus pro non scripta habetur*, d. § Impossibilis. 10. hîc.

45. *Conditiones si in institutionibus conjunctim asscriptæ omnibus parendum est*, §. Si plures. 11. hîc.

46. Con-

46. *Conditiones si separatim asscriptæ, cuilibet obtemperare satis est*, d. §. Si plures. 11. hîc.

47. *Ij, quos nunquam testator vidit, heredes instituí possunt*, §. Ij. 12. hîc.

48. *Ignorantia testatoris inutilem institutionem non facit*, d. §. Ij. 12. hîc.

DE VULGARI *substitutione.*

TIT. XV.

POtest autem quis in testamento suo plures gradus heredum facere: utputa, *si ille heres non erit, ille heres esto*: & deinceps, in quantum velit testator: ut novissimo loco in subsidium vel servum necessarium heredem instituere [possit.]

1. Et plures in unius locum possunt substitui, vel unus in plurium, vel singuli in singulorum, vel invicem ipsi, qui heredes instituti sunt. 2. ¶ Et si ex disparibus partibus heredes scriptos invicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit: eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit. Et ita divus Pius scripsit.

3. ¶ Sed

3. ¶ Sed si instituto heredi, coherede substituto dato, alius eius substitutus fuerit, divi Severus & Antoninus sine distinctione rescripserunt, ad utramque partem substitutum admitti 4. ¶ Si servus alienum quis patremfamilias arbitratus, heredem scripserit: & si heres non esset, Mævium ei substituerit: isque servus: jussu domini adierit hereditatem: [Mævius] substitutus, in partem admittitur. Illa enim verba, *si heres non erit*, in eo quidem, quem alieno juri subjectum esse testator scit, sic accipiuntur: si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit, in eo verò, quem patremfamilias esse arbitratur, illud significant: si hereditatem sibi, vel ei, cuius juri postea subjectus esse cœperit, non adquisierit. Idque Tiberius Cæsar in persona Parthenii servi sui constituit.

REGULÆ JURIS
ex Titul. XV. excerptæ.

1. *Potest quis in testamento suo plures gradus heredum facere*, Princ. h. t.

2. *Potest quis in testamento novissimo loco in subsidium servum necessarium heredem instituere*, Princip. h. t.

3. Plu-

3. *Plures in unius locum possunt substitui*, §. Et plures. 1. hîc.

4. *Vnus in plurium locum potest substitui*, d. Et plures. 1. hîc.

5. *Singuli in singulorum locum, vel invicem ipsi qui heredes instituti sunt, possunt substitui*, d. §. Et plures. 1. hîc.

6. *Si ex disparibus partibus heredes scriptos invicem substituerit, & nullam mentionem in substitutione partium habuerit, eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in institutione expressit*, §. Et si. 2. hîc.

7. *Si instituto heredi coherede substituto dato, alius ei substitutus fuerit, ad utramq; partem substitutus admittitur*, §. Sed si. 3. hîc.

8. *Verba, si heres non erit, diversimodè accipi possunt*, §. Si servus. 4. hîc.

DE PUPILLARI substitutione.

TIT. XVI.

LIberis suis impuberibus, quos in potestate quis habet, non solùm ita, ut suprà diximus, substituere potest: id est, ut si heredes ei non exstiterint, alius sit eis heres:

res: sed eo amplius, ut si heredes ei exstiterint & adhuc impuberes mortui fuerint, si eis aliquis heres: veluti si quis dicat hoc modo, *Titius filius meus heres mihi esto. Et si filius meus heres mihi non erit: sive heres erit, & prius moriatur, quàm in suam tutelam venerit: tunc Sejus heres esto.* Quo casu, siquidem non extiterit heres filius: tunc substitutus patri fit heres, si verò exstiterit heres filius, & ante pubertatem decesserit: ipsi filio fit heres substitutus. Nam moribus institutum est, ut quum eius ætatis filii sint: in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt: parentes eis faciant.

1. ¶ Quâ ratione excitati, etiam constitutionem posuimus in nostro Codice, quâ prospectum est, ut si qui mente captos habeant filios, vel nepotes, vel pronepotes cuiuscunque sexus vel gradus: liceat eis, & si puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis, certas personas substituere. Sin autem resipuerint, eandem substitutionem infirmari, & hoc ad exemplum pupillaris substitutionis: quæ postquam pupillus adoleverit, infirmatur.

2. ¶ Igitur in pupillari substitutione secundùm præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta: alterum patris: alterum filii, tanquam si ipse filius sibi

heredem instituisset: aut certe unum testamentum est duarum causarum, id est, duarum hereditatum.

3. ¶ Sin autem quis ita formidolosus sit, ut timeat, ne filius suus pupillus adhuc, ex eo quod palàm substituerit acceperit, post obitum eius periculo insidiarum subjaceat, vulgarem quidem substitutionem palàm facere, & in primis testamenti partibus [ordinare] debet: illam autem substitutionem, per quam, si heres exstiterit pupillus, & intra pubertatem decesserit, substitutus vocatur separatim in inferioribus partibus scribere, eamq; partem proprio lino, propriáq; cerâ consignare: & in priori parte testamenti cavere, ne inferiores tabulæ vivo filio & adhuc impubere aperiantur. Illud palàm est, non ideo minus valere substitutionem impuberis filii, quod in eisdem tabulis scripta sit, quibus sibi quisq; heredem instituisset, quamvis pupillo hoc periculum sit.

4. ¶ Non tolùm autem heredibus institutis impuberibus liberis ita substituere parentes possunt, ut si heredes eis exstiterint, & ante pubertatem mortui fuerint, sit eis heres is, quem ipsi voluerint: sed etiam exheredatis. Itaque eo casu, si quid [exheredato] pupillo ex hereditatibus, legatísve, aut donatio-

tionibus propinquorum atq; amicorum adquisitum fuerit: id omne ad substitutum pertinebit. Quæcunq; diximus de substitutione impuberum liberorum vel heredum instituendorum, vel exheredatorum: eadem etiam de posthumis intelligimus. 5. ¶ Liberis autem suis testamentum nemo facere potest, nisi & sibi faciat. Nam pupillare testamentum, pars & sequela est paterni testamenti: adeo, ut si patris testamentum non valeat: nec filii quidem valebit.

6. ¶ Vel singulis liberis, vel ei, qui eorum novissimus impubes morietur, substitui potest. Singulis quidem, si neminem eorum intestatum decedere voluerit: novissimo, si jus legitimarum hereditatum integrum inter eos custodiri velit.

7. ¶ Substituitur autem impuberi aut nominatim, veluti *Titius*, aut generaliter, ut *quisquis mihi heres erit*. Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & scripti sunt heredes, & exstiterunt, & pro qua parte heredes facti sunt.

8. ¶ Masculo igitur usque ad quatuordecim annos substitui potest: fœminæ usq; ad duodecim annos. Et si hoc tempus excesserint, substitutio evanescit. 9. ¶ Extraneo verò, vel filio puberi heredi instituto, ita

substituere nemo potest, ut si heres exstiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres: sed hoc solum permissum est, ut eum per fideicommissum testator obliget alii hereditatem eius vel totam, vel pro parte restituere. Quod jus quale sit, suo loco trademus.

REGULÆ JURIS ex Titul. XVI. excerptæ.

1. *Sibi liberis impuberibus, quos quis in potestate habet, pupillariter substituitur*, ptinc. hic.

2. *Moribus institutum est, ut cùm eius ætatis filii sint, in qua ipsi sibi testamentum facere non possint, parentes eis faciant*, d. pr. hîc.

3. *Furiosis, quamvis puberes sint, ad exemplum pupillaris substitutionis certas personas licet substituere*, §. Quâ ratione. 1. hîc.

4. *Furiosi quamprimum resipuerint, substitutio infirmatur*, d. §. Quâ ratione. 1. hîc.

5. *Pupillaris substitutio, postquam pupillus adoleverit, infirmatur*, d. §. Quâ ratione. 1. hîc.

6. *In pupillari substitutione duo sunt quodammodo testamenta, vel unum, sed duarum causarum*, §. Igitur. 2. hîc.

7. Sub-

7. *Substitutio palàm facta pupillo magnum potest inferre periculum*, §. Sin autem 3. hîc.

8. *Substitutio cautè clausis tabulis inferioribus facienda est*, d. §. Sin autem 3. hîc.

9. *Exheredatis etiam pupillariter potest substitui*, §. Non solùm. 4. h c.

10. *Et posthumis pupillariter potest substitui*, §. Non solùm. 4. h c.

11. *Liberis suis testamentum facere nemo potest, nisi & sibi faciat*, §. Liberis. 5. h c.

12 *Pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti*, d. §. Liberis. 5. hîc.

13. *Si patris testamentum non valet, nec filii valebit*, d, §. Liberis. 5. hîc.

14. *Vel singulis, vel ei, qui novissimus heres morietur, potest substitui.* §. Vel singulis. 6. hîc.

15. *Masculo usq; ad quatuordecim annos substitui potest.* §. Masculo. 8. hîc.

16. *Fœminæ usq; ad duodecim annos substitui potest*, d. §. Masculo. 8. h c.

17. *Extraneo vel filio puberi pupillariter substitui non potest.* §. Extraneo. 9. h c.

18. *Extraneum vel filium puberem testator obligare per fidei commissionem potest, alii hereditatem eius vel totam vel pro parte restituere*, d. §. Extraneo. 9. hîc.

QVIBUS MODIS TESTAMENTA INFIRMENTUR.

TIT. XVII.

TEstamentum jure factum usque eò valet, donec rumpatur, irritúmve fiat. 1. ¶ Rumpitur autem testamentum, cùm in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur. Si quis enim post factum testamentum adoptaverit sibi filium per Imperatorem, eum, qui est sui juris: aut per prætorem secundùm nostram constitutionem, eum, qui in potestate parentis fuerit, testamentum eius rumpitur, quasi adgnatione sui heredis. 2. ¶ Posteriore quoq; testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur. Nec interest, exstiterit aliquis heres ex eo, an non. Hoc enim solũ spectatur, an aliquo casu existere potuerit. Ideoque si quis noluerit heres esse, aut vivo testatore, aut post mortem eius ante, quàm hereditatem adiret, decesserit, aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit: in his casibus paterf. intestatus moritur. Nam & prius testamentum non valet, ruptum à posteriore: & posterius æquè nullas habet vires, cùm ex eo nemo heres exstiterit. 3. ¶ Sed & si quis priore testamento

jure

jure perfecto, posterius æquè jure fecerit: etiam si ex certis rebus in eo heredem instituerit: superius tamen testamentũ sublatum esse: D. Severus & Antoninus rescripserunt. Cujus constitutionis verba, [& hîc] inseri jussimus: quum aliud quoq; præterea in ea constitutione expressum sit. Imperatores Severus & Antoninus Coccejo Campano: Testamentũ secundo loco factum, licet in eo certarum rerum heres scriptus sit, perinde jure valere, ac si rerum mentio facta non esset: sed & teneri heredem scriptum, ut contentus rebus sibi datis, aut suppleta quarta ex lege Falcidia, hereditatem restituat his, qui in priore testamento scripti fuerant, propter inserta fidei commissi verba, quibus, ut valeret prius testamentum, expressum est, dubitari non oportet. Et ruptum quidem testamentum hoc modo efficitur.

4. ¶ Alio autem modo testamenta jure facta infirmantur: veluti cùm is, qui fecit testamentum, capite deminutus sit. Quod quibus modis accidat, primo libro retulimus.

5. ¶ Hoc autem casu irrita fieri testamenta dicuntur, quum alioqui, & quæ rumpuntur, irrita fiant: & ea, quæ statim ab initio non jure fiunt, irrita sint. Sed & ea, quæ jure facta sunt, & postea per capitis deminutionem

nem irrita fiunt, possumus nihilominus rupta dicere. Sed quia sanè commodius erat singulas causas singulis appellationibus distingui; ideò quædam non jure facta dicuntur, quædam jure facta rumpi, vel irrita fieri. 6. ¶ Non tamen per omnia inutilia sunt ea testamenta, quæ ab initio jure facta per capitis deminutionem irrita facta sunt. Nam si septẽ testium signis signata sunt: potest scriptus heres secundũ tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere. Si modò defunctus, & civis Romanus, & suę potestatis mortis tempore fuerit. Nam si ideò irritum factũ sit testamentum, quia civitatem, vel etiam libertatem testator amisit, aut quia in adoptionem se dedit, & mortis tempore in adoptivi patris potestate sit: non potest scriptus heres secundùm tabulas bonorum possessionem petere.

7. ¶ Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: usque adeò, ut & si quis post factum prius testamentum posterius facere cœperit: & aut mortalitate præventus, aut quia eum eius rei pœnituit, id non perfecerit: divi Pertinacis oratione cautũ sit, ne aliàs tabulæ priores jure factæ, irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinatæ & perfectæ fuerint.

Nam

Nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est. 8. ¶ Eâdem oratione expressit, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causâ Principem reliquerit heredem: neque tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus erat probaturum: neque ex nuda voce heredis nomen admissurum: neq; ex ulla scriptura, cui juris auctoritas desit, aliquid adepturum. Secundùm hoc divi Severus & Antoninus sæpissimè rescripserunt. Licet enim (inquiũt) legibus soluti simus, attamen legibus vivimus.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVII. excerptæ.

1. *Testamentum jure factum, usq; eò valet, donec rumpatur, irritumq; fiat*, Princ. hîc.

2. *Rumpitur testamentum, cùm in eodem statu manente testatore ipsius testamenti jus vitiatur*, §. Rumpitur. 1. hîc.

3. *Adgnatione sui heredis rumpitur testamentum*, d. §. Rumpitur. 1. hîc.

4. *Posteriore testamento, quod jure perfectum est, superius rumpitur*, §. Posteriore. 2. hîc.

5. *Testamentum, ex quo heres nemo existit, nullas habet vires*, d. §. Posteriore. 2. hîc.

6. *Ex certis rebus in testamento heres non est instítutus*, §. Sed & si. 3. hîc.

7. *Capitis deminutio testamenta jure facta infirmat*, §. Alio autem. 4. hîc.

8. *Nomina non rarò coincidunt*, §. Hoc autem. 5. hîc.

9. *Commodius est, singulas causas singulis appellationibus distingvi*, d. §. Hoc autem. 5. hîc.

10. *Capitis deminutio non simpliciter omnia testamenta facit inutilia*, §. Non tamen. 6. hîc.

11. *Pœnitentia nuda non simpliciter infirmat prius factum testamentum*, §. Ex eo autem. 7. hîc.

12. *Testamentum fieri cœptum, sed nondum perfectum, prius non infirmat*, d. § Ex eo autem. 7. hîc.

13. *Imperfectum testamentum sine dubio nullum est*, d. §. Ex eo. 7. hîc.

14. *Imperator non admittit hereditatem eius, qui litis caussâ se reliquit heredem*, §. Eadem. 8. hîc.

15. *Imperator tabulas non legitimè factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus est, non probat*, d. §. Eadem. 8. hîc.

16. *Imperator ex nuda voce heredis nomen non admittit*. d. §. Eadem. 8. hîc.

17. Im-

17. *Imperator ex nulla scriptura, cui juris auctoritas deest, aliquid adipisci vult*, d. §. Eadem 8. hîc.

18. *Imperatores licet legibus soluti sint: attamen legibus vivunt*, d. §. Eadem 8. hîc.

DE INOFFICIOSO Testamento.

TIT. XVIII.

QVia plerunque parentes sine causa liberos suos exheredant vel omittunt: inductum est, ut de inofficioso testamento agere possint liberi, qui queruntur, aut iniquè se exheredatos, aut iniquè præteritos: hoc colore: quasi non sanæ mentis fuerint, cum testamentum ordinarent. Sed hoc dicitur, non quasi verè furiosus sit, sed rectè quidem fecerit testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si verè furiosus sit, nullum testamentum est.

1. ¶ Non autem liberis tantùm permissum est testamentum parentum inofficiosum accusare, verùm etiam liberorum parentibus. Soror autem & frater, turpibus personis scriptis heredibus, ex sacris constitutioni-

tionibus prælati sunt. Non ergò contra omnes heredes agere possunt. Ultra fratres igitur & sorores cognati nullo modo aut agere possunt, aut agentes vincere.

2. ¶ Tam autem naturales liberi, quàm secundùm nostræ constitutionis divisionem adoptati, ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio jure ad defuncti bona venire possint. Nam qui ad hereditatem totam vel partẽ eius alio jure veniunt, de inofficioso agere non possunt. Posthumi quoque, qui nullo alio jure venire possunt, de inofficioso agere possunt.

3. ¶ Sed hæc ita accipienda sunt, si nihil ei penitus à testatoribus testamento relictum est, quod nostra constitutio ad verecundiam naturæ introduxit. Si verò quantacunq; pars hereditatis, vel res eis fuerit relicta: de inofficioso querelâ quiescente, id, quod eis deest, usque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adjectum: boni viri arbitratu deberi eam compleri. 4. ¶ Sin tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamento patris sui legatum acceperit, cùm nihil erat ipsi tutori relictum à patre suo: nihilominus poterit nomine suo de inofficioso patris testamento agere. 5. ¶ Sed si è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fue-

rat,

rat, de inofficioso egerit, & superatus: est ipse [tutor,] quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

6 ¶ Igitur quartam quis debet habere, ut de inofficioso agere non possit: sive jure hereditario, sive jure legati, vel fideicommissi: vel si mortis causâ ei quarta donata fuerit, vel inter vivos in iis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra constitutio: vel aliis modis, qui [in nostris] constitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum est: ut sive unus fuerit, sive plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur: una quarta eis dari possit, ut ea pro rata eis distribuatur.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVIII. excerptæ.

1. *Parentes plerunq; sine causâ liberos suos exheredant vel omittunt*, Princ. hîc.

2. *Liberi exheredati vel præteriti possunt agere de inofficioso testamento*, d. pr. hîc.

3. *Dura mollius quandoq; efferuntur*, d. pr. hîc. ibi: hoc colore.

4. *Si pater verè furiosus sit, nullum est testamentum*, pr. hîc.

5. Et

5. *Et parentes possunt liberorum inofficiosum accusare testamentum*, §. Non autem liberis. 1. hîc.

6. *Soror & frater possunt inofficiosum accusare fratris testamentum, si turpes personæ scripti sint heredes*, d. §. Non a. 1. hîc.

7. *Soror & frater contra omnes heredes agere non possunt*, d. §. Non a. 1. hîc.

8. *Vltra fratres & sorores cognati hoc inofficiosi judicio nullo modo agere possunt, aut agentes vincere*, d. §. Non autem. 1. hîc.

9. *Naturales liberi & adoptati ita demum de inofficioso testamento agere possunt, si nullo alio jure ad defuncti bona venire possint*, §. Tam aut. 2. hîc.

10. *Qui ad hereditatem totam vel partem eius alio jure veniunt, de inofficioso agere non possunt*, d. §. Tam autem. 2. hîc.

11. *Posthumi quoq; qui nullo alio jure venire possunt ad hereditatem, de inofficioso agere possunt*, d. §. Tam autem. 2. hîc.

12. *Querela inofficiosi tum demùm locum habet, quando nihil penitus personis, quibus debebat testamento relictum est*, §. Sed hæc ita. 3. hîc.

13. *Hinc: Si quantacunq; pars hereditatis vel certa res relicta est, id quod deest, usq; ad quartã legitimam supplendum est*, d. §. Sed hæc. 3. hîc.

14. *Ne-*

14. *Nemini suum officium debet esse damnosum* §. Sin tutor. 4. hîc.

15. *Hinc: Tutor nomine pupilli propter legatum agens suam partem non prohibetur poscere*, d. § Sin tutor. 4. hîc.

16. *Et: tutor agens de inofficioso propter pupillum legatum suum idcircò non amittit*, d. §. Sin tutor. 4. hîc.

17. *Debet quis quartam habere, ut de inofficioso agere non possit*, §. Igitur. 6. hîc.

18. *Sive unus fuerit, sive plures, quibus agere de inofficioso testamento permittitur, una quarta pro rata inter eos distribuenda est*, d. §. Igitur. 6. hîc.

DE HEREDUM QVALITATE & differentia.

TIT. XIX.

HEredes autem aut necessarii dicuntur, aut sui & necessarii, aut extranei.

1. ¶ Necessarius heres est servus heres institutus. Ideòque sic appellatur, quia sive velit, sive nolit, omninò post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. Unde, qui facultates suas suspectas habent, solent

solent servum suum primo aut secundo aut etiam vlteriore gradu heredem instituere: vt si creditoribus satis non fiat, potius eius heredis bona quàm ipsius testatoris à creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos dividantur. Pro hoc tamen incommodo, illud ei commodum præstatur: vt ea, quæ post mortem patroni sui sibi adquisierit, ipsi reserventur. Et quamuis bona defuncti non sufficiant creditoribus: [iterum] tamen ex ea causa res eius, quas sibi adquisierit, non veneunt.

2. ¶ Sui autem & necessarij heredes sunt, veluti filius, filia, nepos neptisve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in potestate morientis modò fuerint. Sed vt nepos, neptisve sui heredes sint, non sufficit eum eamve in potestate aui mortis tempore fuisse: sed opus est, vt pater eius viuo patre suo desierit suus heres esse, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris potestate: tunc enim nepos neptisve in locum patris sui succedit. Sed sui quidem heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur. Vnde etiam si quis intestatus moriatur; prima causa est in successione liberorũ. Necessarij verò ideo dicuntur, quia omnino, siue velint siue nolint, tam ab intestato, quàm ex testa-

testamento [ex lege duodecim tabularum] heredes fiunt. Sed his prætor permittit volentibus abstinere hereditate: ut potius parentis, quàm ipsorum bona similiter à creditoribus possideantur.

3. ¶ Cæteri, qui testatoris juri subjecti non sunt, extranei heredes appellantur. Itaque liberi quoque nostri, qui in potestate nostra non sunt, heredes à nobis instituti, extranei heredes nobis videntur. Quâ de causa, & qui heredes à matre instituuntur, eodem numero sunt: quia fœminæ in potestate liberos non habent. Servus quoque heres à domino institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, eodem numero habetur.

4. ¶ In extraneis heredibus illud observatur, ut sit cum eis testamenti factio: sive heredes ipsi instituantur, sive ii, qui in potestate eorum sunt. Et id duobus temporibus inspicitur: testamenti quidem [facti] tempore, ut constiterit institutio: mortis verò testatoris, ut effectum habeat: hoc amplius & cùm adit hereditatem, esse debet cum eo testamenti factio, sive purè, sive sub conditione heres institutus sit, nam jus heredis eo maximè tempore inspiciendum est, quo adquirit hereditatem. Medio autem tempore inter factum testamentum, & mortem testatoris;

vel conditionem institutionis existentem, mutatio juris non nocet heredi: quia (ut diximus) tria tempora inspici debent. Testamenti autem factionem non solùm is habere videtur, qui testamentum facere potest; sed etiam qui ex alieno testamento vel ipse capere potest, vel alii adquirere, licet non possit facere testamentum. Et ideò furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamilias, & servus alienus testamenti factionem habere dicuntur. Licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento vel sibi, vel alii adquirere possunt.

5. ¶ Extraneis autem heredibus deliberandi potestas est de adeunda hereditate, vel non adeunda. Sed sive is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bonis hereditatis: sive extraneus, cui de adeunda hereditate deliberare licet, adierit: postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet, nisi minor sit viginti quinque annis. Nam huius ætatis hominibus, sicut in cæteris omnibus causis deceptis: ita & si temerè damnosam hereditatem susceperint, prætor succurrit. Sciendum est tamen, divum Hadrianum etiam majori vigintiquinque annis veniam dedisse, cùm post aditam hereditatē grande æs alienum, quod aditæ hereditatis tempore latebat,

bat, emersisset. Sed hoc quidem divus Hadrianus cuidam speciali beneficio præstitit: divus autem Gordianus postea militibus tantùm modò hoc concessit.

6. ¶ Sed nostra benevolentia commune omnibus subjectis imperio nostro hoc beneficium præstitit, & constitutionem tam æquissimam, quàm nobilissimam scripsit: cuius tenorem si observaverint homines, licet eis adire hereditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hereditatis contingit: ut ex hac causa neq; deliberationis auxilium sit eis necessarium, nisi omissâ observatione nostræ constitutionis, & deliberandum existimaverint, & sese veteri gravamini additionis supponere maluerint.

7. ¶ Item extraneus heres testamento institutus, aut ab intestato ad legitimâ hereditatẽ vocatus, potest aut pro herede gerendo, aut etiam nudâ voluntate suscipiendę hereditatis heres fieri. Pro herede autẽ gerere quis videtur, si rebus hereditariis tanquã heres utatur, vel vendendo res hereditarias, vel prædia colendo locandóve, & quoquo modo voluntatem suã declaret vel re, vel verbo de adeundâ hereditate: dumodo sciat eum, in cuius bonis pro herede gerit, testatũ intestatúmve obiisse & se ei heredem esse. Pro herede n. gerere, est

pro domino gerere. Veteres enim heredes pro dominis appellabant. Sicut autem nudâ voluntate extraneus heres fit: ita contrariâ destinatione statim ab hereditate repellitur. Eum, qui surdus vel mutus natus, vel postea factus est, nihil prohibet pro herede gerere, & adquirere sibi hereditatem: si tamen intelligit, quod agit.

REGULÆ JURIS ex Titul. XIX. excerptæ.

1. *Servus heres institutus sive velit, sive nolit, omninò statim post mortem testatoris, protinus liber & necessarius heres fit*, §. Necessarius heres. I. hîc.

2. *Qui facultates suas suspectas habebant, olim solebant servum heredem instituere*, d. §. Necessarius. I. hîc.

3. *Si creditoribus non satisfiat, potius est ut heredis bona quàm testatoris distribuantur*, d. §. Necessarius. I. hîc.

4. *Pro incommodo omninò & commodum quoddam reponendum est*, d. §. Necessarius her. I. hîc.

5. *Servus habet beneficium separationis, hoc est, ei,*

ea, quæ post mortem patroni sui sibi acquisivit, sibi reservat, d. §. Necessarius. 1. hîc.

6. Hinc: Quamvis bona defuncti non sufficiant creditoribus, tamen ex ea causa res eius, quas sibi acquisivit, non veneunt. d. §. Necessarius. 1. hîc.

7. Non sunt heredes sui & necessarii, nisi liberi, qui in potestate morientis modò fuerunt, §. Sui autem. 2. hîc.

8. Mortuo patre, vel aliâ ratione è potestate exeunte nepos neptisve in locum patris sui succedit, d. §. Sui autem. 2. hîc.

9. Liberi vivo quoque patre quodammodo domini existimantur, d. §. Sui a. 2. hîc.

10. Si quis intestatus moriatur, prima causa est in successione liberorum, dict. §. Sui autem. 2. hîc.

11. Liberi omninò sive velint, sive nolint, heredes fiunt, d. §. Sui a. 2. hîc.

12. Liberis permittit prætor, se ab hereditate abstinere, d. §. Sui a. 2. hîc.

13. Melius est, ut parentis quàm liberorum bona similiter à creditoribus possideantur, d. §. Sui aut. 2. hîc.

14. Extranei heredes non sunt, nisi qui testatoris juri subjecti non sunt, §. Cæteri. 3. hîc.

15. Ergò: Et liberi nostri, qui in potestate nostra

stra non sunt, extranei heredes esse possunt, d. § Cæteri 3. hîc.

16. *Heredes, qui à matre instituuntur, extranei sunt*, d. §. Cæteri 3. hîc.

17. *Quia: fœminæ in potestate liberos non habent*, d. §. Cæteri. 3. hîc.

18. *Servus à domino heres institutus, & post testamentum factum ab eo manumissus, heres extraneus est*, d. §. Cæteri. 3. hîc.

19. *Extranei heredes esse non possunt, nisi sit cum illis testamenti factio*, § In extraneis. 4. hîc.

20. *In extraneis tria tempora perpendenda sunt*. d. §. In extraneis. 4. hîc.

21. *Sed jus heredis eo maximè tempore inspiciendum est, quo acquirit hereditatem*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

22. *Medio tempore mutatio juris non nocet juris heredi*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

23. *Testamenti factionem & is habet, qui ex alieno testamento vel quid capere ipse potest, vel alii acquirere*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

24. *Furiosus testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

25. *Mutus testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

26. *Postumus testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

27. In-

27. *Infans testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

28. *Filiusf. testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

29. *Et servus alienus testamenti factionem habet*, d. §. In extraneis. 4. hîc.

30. *Extraneis heredibus deliberandi potestas est de adeunda hereditate*, §. Extraneis autem. 5. hîc.

31. *Qui se bonis hereditatis immiscet, postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet*, d. §. Extraneis. 5. hîc.

32. *Extraneus qui adiit, postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet*, d. §. Extraneis. 5. hîc.

33. *Minori 25. annis si temerè damnosam hereditatem susceperit, prætor succurrit*, d. §. Extraneis. 5. hîc.

34. *Majori etiam 25. annis Hadrianus succurrendum hîc censuit*, d. §. Extraneis. 5. hîc.

35. *Hodiè beneficium inventarii heredi concessum est*, §. Sed nostra. 6. hîc.

36. *E duobus mediis, utrum quis voluerit, unum eligere quis potest*, d. §. Sed nostra. 6. hîc.

37. *Extraneus heres pro herede gerendo aut nudâ voluntate suscipiendæ hereditatis heres potest fieri*, §. Item extraneus. 7. hîc.

38. *Extraneus contrariâ destinatione statim ab hereditate repellitur*, d. §. Item. 7. hic.

39. *Surdus vel mutus natus aut factus prohibetur de se gerere potest, & hereditatem sibi acquirere, si tamen intelligit, quod agit*, d. § Item extraneus. 7. hic.

DE LEGATIS.

TIT. XX.

POst hæc videamus de legatis: quæ pars juris extra propositam quidem materiam videtur. (Nam loquimur de iis juris figuris, quibus per universitatem res nobis adquiruntur) sed cùm omninò de testamentis, & de heredibus, qui in testamento instituuntur, loquuti simus: non sine causa sequenti loco potest hæc juris materia tractari.

1. ¶ Legatum itaque est donatio quædam á defuncto relicta, ab herede præstanda.

2. ¶ Sed olim quidem erant legatorum genera quatuor: per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem: & certa quædem verba cuique generi legatorum adsignata erant, per quæ singula gene-

genera legatorum significabantur. Sed ex constitutionibus divorum Principum solennitas huiusmodi verborum penitùs sublata est. Nostra autem constitutio, quam cum magna fecimus lucubratione, defunctorum voluntates validiores esse cupientes, & non verbis, sed voluntatibus eorum faventes disposuit, ut omnibus legatis una sit natura, & quibuscunque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi non solùm per actiones personales, sed etiam per in rem, & per hypothecariam. Cuius constitutionis perpensum modum ex ipsius tenore perfectissimé accipere possibile est.

3. ¶ Sed non usque ad eam constitutionem standum esse existimamus: cùm enim antiquitatem invenimus legata quidem strictè concludentem: fideicommissis autem, quæ ex voluntate magis defunctorũ descendebant, pingviorem naturam indulgentes: necessarium esse duximus, omnia legata fideicommissis exæquare: ut nulla sit inter eas differentia: sed quod deest legatis, hoc repleatur ex natura fideicommissorum: Et si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permistim de his exponendo, studiosis adolescentibus quandam intro-

ducamus difficultatem: operæ pretium esse duximus, interim separatim prius delegatis, & postea de fideicommissis tractare: ut naturâ utriusq; juris cognitâ, facilè possint permistionem eorum eruditi subtilioribus auribus accipere.

4. ¶ Non solùm autè testatoris vel heredis sed res etiam aliena legari potest: ita ut heres cogatur redimere eam, & præstare, vel si eam non potest redimere, æstimationem eius dare. Sed si talis sit res, cuius commercium non est, [vel adipisci non potest:] nec æstimatio eius debetur, veluti si Campum Martium, vel basilicas, vel templa, vel quæ publico usui destinata sunt, legaverit. Nam nullius momenti [tale] legatum est. Quod autem diximus, alienam rem posse legari; ita intelligendum est, si defunctus sciebat, alienam rem esse, non si ignorabat. Forsitan enim si sciviſſet alienam rem esse, non legasset: & ita divus Pius rescripsit. Et verius est ipsum, qui agit, id est, legatarium probare oportere, sciviſſe alienam rem legare defunctum: non heredem probare oportere, ignorasse alienam: quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.

5. ¶ Sed & si rem obligatam creditori aliquis legaverit, necesse habet heres [eam] lus-

luere. Et [in] hoc quoque casu idem placet, quod in re aliena: ut ita demum luere necesse habeat heres, si sciebat defunctus rem obligatam esse. Et ita divi Severus & Antoninus rescripserunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expresserit: non debet heres eam luere.

6. ¶ Si res aliena legata fuerit: & eius rei vivo testatore legatarius dominus factus fuerit: siquidem ex causa emptionis: ex testamento actione pretium consequi potest. Si v. ex causa lucrativa, veluti ex donatione vel ex alia simili causa agere non potest: nam traditum est duas lucrativas causas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse. Hac ratione, si ex duobus testamentis eadem res eidem debeatur. Interest, utrum rem, an æstimationem ex testamento consequutus sit. Nam si rem habet, agere non potest, qui habet eam ex causa lucrativa. Si æstimationem, agere potest.

7. ¶ Ea quoque res, quæ in rerum natura non est, si modo futura est, rectè legatur, veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

8. ¶ Si eadem res duobus legata sit, sive conjunctim, sive disjunctim: si ambo perveniant ad legatū, scinditur inter eos legarum: si ali-

si aliter deficiat (quia aut spreverit legatum, aut vivo testatore decesserit, vel alio quoquo modo defecerit) totum ad collegatarium pertinet. Conjunctim autem legatur, si quis veluti dicat, *Titio & Seio hominem Stichum do lego.* Disjunctim ita, *Titio hominem Stichum do lego. Seio hominem Stichum do lego.* Sed & si expresserit eundem hominem Stichum, æquè disjunctim legatum intelligitur.

9. ¶ Si cui fundus alienus legatus sit, & emerit proprietatem, deducto usufructu, & usus fructus ad eum pervenerit, & postea ex testamento agat: rectè eum agere, & fundum petere, Julianus ait: quia usus fructus, in petitione, servitutis locum obtinet. Sed officio judicis continetur, ut deducto usufructu, jubeat æstimationem præstari.

10. ¶ Sed si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum: quia quod proprium est ipsius, amplius eius fieri non potest, & licet alienaverit eam, non debetur nec ipsa res, nec æstimatio eius. 11. ¶ Si quis rem suam quasi alienam legaverit: valet legatum. Nam plus valet, quod in veritate est, quàm quod in opinione. Sed & si legatarii esse putavit, valere constat: quia exitum voluntas defuncti habere potest.

12. ¶ Si rem suam legaverit testator, post-

caque

eáque eam alienaverit: Celsus putat, si non adimendi animo vendidit, nihilominus, deberi. Idémque divi Severus & Antoninus rescripserunt. Iidem rescripserunt eum, qui post testamentum factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademisse legatum non videri: & ideò legatarium cum herede [eius] agere posse, ut prædia à creditore luantur. Si verò quis partem rei legatæ alienaverit: pars, quæ non est alienata, omninò debetur. Pars autem alienata ita debetur, si non adimendi animo alienata sit.

13. ¶ Si quis debitori suo liberationem legaverit, legatum utile est: & neq; ab ipso debitore, neq; ab herede eius potest heres petere: neq; ab alio, qui heredis loco sit. Sed & potest à debitore conveniri, ut liberet eum. Potest etiam quis vel ad tempus jubere, ne heres petat.

14. ¶ Ex contrario si debitor creditori suo quod debet, legaverit: inutile est legatum, si nihil plus est in legato, quàm in debito: quia nihil amplius per legatum habet. Quod si in diem vel sub conditione debitum ei purè legaverit: utile est legatum propter repræsentationem. Quod si vivo testatore dies venerit, vel conditio extiterit: Papinianus scripsit, utile esse nihilominus legatum:

quia

quia semel constitit, quod & verum est. Non enim placuit sententia existimantium extinctum esse legatum, quia in eam causam pervenerit, à qua incipere non potest.

15. ¶ Sed si uxori maritus dotem legaverit, valet legatum: quia plenius est legatum, quàm de dote actio. Sed si quam non accepit, dotem legaverit, divi Severus & Antoninus rescripserunt, si quidem simpliciter legaverit, inutile esse legatum: si verò certa pecunia vel certum corpus, aut instrumenta dotis in relegando demonstrata sunt, valere legatum.

16. ¶ Si res legata sine facto heredis perierit, legatario decedit. Et si servus alienus legatus sine facto heredis manumissus fuerit; non tenetur heres. Si verò heredis servus legatus sit, & ipse eum manumiserit: teneri ipsum, Julianus scripsit. Nec interest, sciverit, an ignoraverit à se legatū esse. Sed & si alii donaverit servum, & is, cui donatus est, eum manumiserit: tenetur heres, quamvis ignoraverit à se eum legatum esse.

17. ¶ Si quis ancillas cum suis natis legaverit, etiam si ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem est, & si ordinarii servi cum vicariis legati fuerint: quia licet mortui sint ordinarii, tamen vicarii legato

cedunt. Sed si servus fuerit cum peculio legatus: mortuo servo vel manumisso, vel alienato, peculii legatum extinguitur. Idem est, si fundus instructus, vel cum instrumento legatus fuerit. Nam fundo alienato, & instrumenti legatum extinguitur.

18. ¶ Si grex legatus fuerit: & postea ad unam ovem pervenerit: quod superfuerit, vindicari potest. Grege autem legato etiam eas oves, quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedere, Julianus ait. Est autem gregis unum corpus distantibus capitibus, sicut ædium unum corpus est ex coherentibus lapidibus. 19. ¶ Ædibus denique legatis, columnas & marmora, quæ post testamentum factum adjecta sunt, legato [dicimus] cedere.

20. ¶ Si peculium legatum fuerit: sine dubio quicquid peculio accedit, vel decedit vivo testatore, legatarii lucro vel damno est. Quòd si post mortem testatoris ante aditam hereditatem [aliquid] servus adquisierit, Julianus ait, si quidem ipsi manumisso peculium legatum fuerit: omne, quod ante aditam hereditatem adquisitum est, legatario cedere, quia hujusmodi legati dies ab adita hereditate cedit. Sed si extraneo peculium legatum fuerit: non cedere ea legato, nisi

nisi ex rebus peculiaribus auctũ fuerit peculium. Peculiũ autem, nisi legatum fuerit, manumisso non debetur: quamvis si vivus manumiserit, sufficit, si non adimatur. Et ita divi Severus & Antoninus rescripserunt. Idem rescripserunt, peculio legato, non videri id relictum, ut petitionẽ habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit. Idem rescripserunt, peculium videri legatum, cùm rationibus redditis liber esse jussus est, & ex eo reliqua inferre.

21. ¶ Tam autem corporales res legari possunt, quàm incorporales: & ideò quod defuncto debetur, potest alicui legari, ut actiones suas heres legatario præstet: nisi exegerit vivus testator pecuniam. Nam hoc casu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet, *damnas esto heres meus domum illius reficere*, vel, *illum ære alieno liberare*.

11. ¶ Si generaliter servus vel res alia legetur: electio legatarii est, nisi aliud testator dixerit.

23. ¶ Optionis legatum, [id est,] ubi testator ex servis suis, vel aliis rebus optare legatarium jusserat, habebat olim in se conditionem, & ideó nisi ipse legatarius vivus optasset, ad heredem legatum non transmittebant: sed ex constitutione nostra & hoc in melio-

meliorem ſtatum reformatum eſt: & data eſt licentia heredi legatarii optare [ſervum,] licet vivus legatarius hoc non fecerit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in noſtra conſtitutione additum eſt: ſive plures legatarii extiterint, quibus optio relicta eſt, & diſſentiant in corpore eligendo, ſive unius legatarii plures heredes [ſint,] & inter ſe circa optandum diſſentiant, alio aliud corpus eligere cupiente, ne pereat legatum (quod plerique prudentium contra benevolentiam introducebant) fortunam eſſe huius optionis judicem, & ſorte hoc eſſe dirimendum, ut ad quem ſors venerit, illius ſententia in optione præcellat.

24. ¶ Legari autem illis ſolùm poteſt, cum quibus teſtamenti factio eſt. 25. ¶ Incertis verò perſonis neque legata, neque fideicommiſſa olim relinqui conceſſum erat. Nam ne miles quidem incertæ perſonæ poterat relinquere, ut divus Hadrianus reſcripſit. Incerta autem perſona videbatur, quam incertâ opinione animo ſuo teſtator ſubjiciebat: veluti ſi quis ita dicat, *quicunq; filio meo filiam ſuam in matrimonium dederit, ei heres meus fundum dato.* Illud quoque, quod iis relinquebatur, qui poſt teſtamentum ſcriptum primi conſules deſignati eſſent: æquè incertæ perſonæ

sonæ legari videbatur. Et denique multæ aliæ huiusmodi species sunt. Libertas quoque incertæ personæ non videbatur posse dari, quia placebat nominatim servos liberari. Sub certa verò demonstratione, id est, ex certis personis incertæ personæ rectè legebatur: veluti, *ex cognatis meis, qui nunc sunt, si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.* Incertis autem personis legata vel fideicommissa relicta, & per errorem soluta, repeti non posse, sacris constitutionibus cautum erat.

26. ¶ Posthumo quoque alieno inutiliter [antea] legabatur. Est autem alienus posthumus, qui natus inter suos, heres testatori futurus non est. Ideóque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus avo. 27. ¶ Sed nec huiusmodi species penitùs est sine justa emendatione relicta. Cùm in nostro Codice constitutio posita sit, per quam & huic parti medemur, non solùm in hereditatibus, sed etiam in legatis & fideicomissis, quod evidenter ex ipsius constitutionis lectione claresci. Tutor autem nec per nostram constitutionem incertus dari debet: quia certo judicio debet quis protutela sua posteritati cavere.

28. ¶ Post-

28. ¶ Posthumus autem alienus heres institui & ante poterat, & nunc potest: nisi in utero eius sit, quæ jure nostro uxor esse non potest, 29. ¶ Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, [agnomine] legatarii testator erraverit: cùm de persona constat, nihilominus valet legatum. Idémque in heredibus servatur, & rectè. Nomina enim, significandorum hominũ gratiâ reperta sunt: qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. 30. ¶ Huic proxima est illa juris regula, falsâ demonstratione legatum non perimi: veluti si quis ita legaverit: *Stichum servum meum vernã do lego*, licet enim non verna, sed emtus sit, tamen de servo constat, utile est legatum. Et convenienter, si ita demonstraverit: *Stichum servum, quem à Sejo emi*, sitque ab alio emptus: utile est legatum, si de servo constat.

31. ¶ Longè magis legato falsa causa [adjecta] non nocet: veluti cùm quis ita dixerit, *Titio, quia me absente negocia mea curavit, Stichum do lego*: vel ita, *Titio, quia patrocinio eius capitali crimine liberatus sum, Stichum do lego.* Licet enim neque negocia testatoris unquam gesserit Titius, neque patrocinio eius liberatus sit, legatum tamen valet. Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa:

aliud juris est, veluti hoc modo, *Titio si negocia mea curaverit, fundum [meum do lego.]*

32. ¶ An servo heredis rectè legemus, quæritur. Et constat purè inutiliter legari, nec quicquam proficere, si vivo testatore de potestate heredis exierit: quia, quod inutile foret legatum, si statim post factum testamentum decessisset testator, hoc non debet ideò valere, quia diutius testator vixerit. Sub conditione verò rectè legatur [servo,] ut requiramus, an quo tempore dies legatis cedit, in potestate heredis non sit.

33. ¶ Ex diverso, herede instituto servo, quin domino rectè etiam sine conditione legetur, non dubitatur. Nam etsi statim post factum testamentum decesserit testator: non tamen apud eum, qui heres sit, dies legati cedere intelligitur: cùm hereditas à legato separata sit: & possit per eum servum alius heres effici, si prius, quàm jussu domini adeat, in alterius potestatem translatus sit: vel manumissus ipse heres efficitur, quibus casibus utile est legatum: Quod si in eadem causa permanserit, & jussu legatarii adierit: evanescit legatum.

34. ¶ Ante heredis institutionem inutiliter antea legabatur: scilicet quia testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, &

ob

ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. Pari ratione nec libertas ante heredis institutionem dari poterat. Sed quia incivile esse putavimus, scripturæ ordinem quidem sequi (quod & ipsi antiquitati vituperandum fuerat visum) sperni autem testatoris voluntatem: per nostram constitutionem & hoc vitiū emendavimus; ut liceat & ante heredis institutionem, & inter medias heredum institutiones legatum relinquere, & multò magis libertatem, cuius usus favorabilior est.

35. ¶ Post mortem quoque heredis aut legatarii simili modo inutiliter legabatur, veluti si quis ita dicat, *cùm heres meus mortuus fuerit, do lego.* Item, *priùs quàm heres aut legatarius moriatur.* Sed simili modo & hoc correximus, firmitatem huiusmodi legatis ad fideicommissorum similitudinem præstantes: ne in hoc casu deterior causa legatorum, quàm fideicommissorum inveniatur.

36. ¶ Pœnæ quoque nomine inutiliter [antea] legabatur & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coërcendi heredis caussâ relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti si quis ita scripserit: *heres meus si filiam suam in matrimonium Titio collocaverit*: vel ex

diverso, *si non collocaverit, dato decem aureos Sejo*: aut si ita scripserit, *heres meus si servũ Stichum non alienaverit*: vel ex diverso, *si non alienaverit, Titio decem aureos dato.* Et in tantum hæc regula observabatur, ut quàm plurimis principalibus constitutionibus significaretur, nec Principem agnoscere, quod ei pœnæ nomine legatum sit. Nec ex militis quidem testamento talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis testamentis valdè observabantur. Quinetiam nec libertates pœnæ nomine dari posse placebat. Eo amplius nec heredem pœnæ nomine adjici posse, Sabinus existimabat: velutisi quis ita dicat, *Titius heres esto, si Titium filiam suam in matrimonium Sejo collocaverit, Sejus quoque heres esto.* Nihil enim intererat, quâ ratione Titius coërceretur, utrum legati datione, an coheredis adjectione. Sed huiusmodi scrupulositas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata: nihil distare à cæteris legatis constituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel in transferendo: exceptis videlicet iis, quæ impossibilia sunt, vel legibus interdicta, aut aliàs probrosa. Huiusmodi enim

enim testamentorum dispositiones valere, secta meorum temporum non patitur.

REGULÆ JURIS ex Titul. XX. excerptæ.

1. *Quod extra propositam materiam est, non facilè assumendum*, Princ. hîc.

2. *Legato res singulæ nobis acquiruntur*, d. pr. hîc.

3. *Vbi agitur de toto, ibi & de eius parte seu sequela agi commodè potest*, d. pr. hîc.

4. *Legatum omne à defuncto relinquitur*, §. Legatum. 1. hîc.

5. *Legatum ab herede præstandum est*, §. Legatum. 1. hîc.

6. *Solennitates verborum, cùm fieri potest, amovendæ*, §. Sed olim. 2. hîc.

7. *Constitutiones magna cum Impp. lucubratione constituuntur*, d. §. Sed olim. 2. hîc.

8. *Defunctorum voluntatib. vel maximè prospiciendum est*, d. §. Sed olim. 2. hîc.

9. *Omnibus legatis una est natura*, d. §. Sed olim 2. hîc.

10. *In fideicommissis voluntas testatoris potius spectari & servari solet.* §. Sed non usque. 3. hîc.

11. *Omnia legata fideicommissis exæquata sunt*, d. §. Sed non usque. 3. hic.

12. *Inter legata nulla est amplius differentia*, d. §. Sed non usque. 2. hic.

13. *Quod deest legatis, id replendum est ex natura fideicommissorum*, §. Sed non usque. 3. hic.

14. *Quod amplius est in legatis, per hoc crescit fideicommissorum natura*, d. §. Sed non usque. 3. hic.

15. *Permista diversarum materiarum tractatio introducit difficultatem*, d. §. Sed non usque. 3. hic.

16. *Natura diversi juris separatim cognita, facilè permistionem huius eruditi possunt percipere*, d §. Sed non usq. 3. hic.

17. *Testatoris & heredis res potest legari*, §. Non solum. 4. hic.

18. *Res aliena etiam legari potest*, d. §. Non solum. 4. hic.

19. *Res, quæ non est in commercio, non potest legari*, §. Non solum. 4. hic.

20. *Legatarius debet probare, sciviſſe alienam rem se legare defunctum*, d. §. Non solum. 4. hic.

21. *Semper necessitas probandi incumbit illi qui agit*, §. Non solum. 4. hic.

22. *Si rem obligatam creditori quis legaverit, neces-*

necesse habet heres eam luere, §. Sed. 5. hic. cum distinct.

23. Rei legatæ vivo testatore si legatarius dominus fit ex causa lucrativa, precium consequi non potest, §. Si res aliena. 6. hic.

24. Traditum est, duas lucrativas causas in eundem hominem & eandem rem concurrere non posse, d. §. Si res aliena. 6. hic.

25. Rem eandem in duobus testamentis legatam si quis semel consecutus est, ulterius agere non potest, d. §. Si res aliena. 6. hic.

26. Qui rei eiusdem in duobus testamentis legatæ æstimationem est consecutus, ulterius agere potest, d. §. Si res aliena. 6. hic.

27. Res, quæ in rerum natura non est, si modò futura, rectè legatur, §. Ea quoque. 7. hic.

28. Si eadem res duobus legata, cum ambo perveniunt ad legatum, scinditur inter eos legatum, §. Si eadem. 8. hic.

29. Si eadem res duobus legata, & alter deficiat, totum ad collegiatum pertinet, d. §. Si eadem 8. hic.

30. Legatario ante legantem decedente extingvitur legatum, d. §. Si eadem. 8. hic.

31. Legatario spernente legatum, extingvitur illud, d. §. Si Eadem. 8. hic.

32. Qui emit in fundo alieno legati proprietatem

tem, & is usumfructum accepit, illi æstimatio proprietatis restituenda est, §. Si cui fundus. 9. hîc.

33. Usus fructus in petitione servitutis locum obtinet, d. §. Si cui. 9. hîc.

34. Si rem legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum. §. Sed si. 10. hîc.

35. Quia: quod proprium est ipsius, amplius eius fieri non potest, d. §. Sed si 10 hîc.

36. Legatarius rem sibi suam legatam, etsi alienaverit, non debetur, nec ipsa res nec æstimatio eius d. §. Sed si 10. hîc.

37, Si quis rem suam quasi alienam legaverit, valet legatum, §. Si quis 11. hîc.

38. Nam: Plus valet, quod in veritate est, quàm quod in opinione, d. §. Si quis. 11. hîc.

39. Vbi exitum voluntas defuncti habere potest, ibi valet legatum, d. §. Si quis. 11. hîc.

40. Si rem suam legavit testator, & pòst eam alienavit, si non adimendi animo vendidit, nihilominus debetur, §. Si rem suam. 12. hîc.

41, Parte rei legatæ alienatâ, pars quæ non est alienata, debetur. d. §. Si rem suam. 12. hîc.

42. Non modò res corporales, sed & jura legari possunt, d, Si quis. 13. hîc.

43. Si debitor creditori suo, quod debet, legaverit,

rit, inutile est legatum si nihil plus sit in eo, §. Ex contrario. 14. hic.

44. *Vbi nihil amplius per legatum quis habet, ibi inutile est legatum.* d. §. Ex contrario. 14. hic.

45. *In diem vel sub conditione debitum pure legatum valet.* d. §. Ex contrario. 14. hic.

46. *Quod semel valuit legatum, ex eo non extingvitur, quod in eam causam incidat, à qua non potest incipere,* §. Ex contrario. 14. hic.

47. *Si uxori maritus dotem legaverit, valet legatum,* §. Sed si uxori. 15. hic.

48. *Plenius est legatum, quàm de dote actio,* d. §. Sed si uxori. 15. hic.

49. *Si res legata sine facto heredis perierit, legatario decedit,* §. Si res legata. 16. hic.

50. *Si servus alienus legatus sine facto heredis manumissus fuerit, non tenetur heres,* d. §. Si res legata. 16. hic.

51. *Heres propter servum suum legatum, & à se manumissum tenetur.* d. §. Si res legata. 16. hic.

52. *Heres propter servum alii donatum, & ab illo manumissum tenetur,* d. §. Si res legata. 16. hic.

53. *Si ancillæ cum natis legatæ fuerint, &* mor-

mortuæ, partus legato cedunt, §. Si quis ancillas. 17. hîc.

54. *Cum vicariis si servi ordinarii legati & mortui, vicarii legato cedunt*, §. Si quis ancillas. 17. hîc.

55. *Si servus cum peculio legatus mortuus fuerit, vel manumissus, vel alienatus, peculii legatum extinguitur*, §. Si quis ancil. 17. hîc.

56. *Fundo alienato & instrumenti legatum extingvitur*, §. Si quis ancillas. 17. hîc.

57. *Grege legato eoq; valdè diminuto, quod superfuerit, vindicari potest*, §. Si grex. 18. hîc.

58. *Grege legato oves, quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur, legato cedunt*, d. §. Si grex. 18. hîc.

59. *Gregis unum est corpus*, d. §. Si grex. 18. hîc.

60. *Ædibus legatis, columnæ & marmora, quæ post testamentum factum adjecta sunt, legato cedunt*, §. Ædibus. 19. hîc.

61. *Peculio legato quicquid accedit vivo testatore legatarii lucro est*, §. Si peculium, 20. hîc.

62. *Peculio legato quicquid decedit vivo testatore, legatarii damno est*, d. §. Si peculium. 20. hîc.

63. *Peculium si legetur ipsi servo, quod post mortem testatoris ante aditam hereditatem acquisierit*,

rit servus, legatario cedit, §. Si peculium. 20. hîc.

64. *Peculium si legetur extraneo, non cedit legato, quod post mortem acquisitum est*, d. §. Si peculium. 20. hîc.

65. *Peculium nisi legatum fuerit, non debetur manumisso*, d. §. Si peculium. 20. hîc.

66. *Peculio legato manumisso, non id relictum, ut petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes dominicas impenderit*, d. §. Si peculium. 20. hîc.

67. *Peculium videtur legatum, cum rationibus redditis liber esse jussus est*, d. §. Si peculium. 20. hîc.

68. *Et res incorporales legari possunt*, §. Tam autem. 21. hîc.

69. *Quod defuncto debetur, potest alicui legari* §. Tam autem. 21. hîc.

70. *Vivus testator si debitum exegerit, huius legatum extingvitur*, d. §. Tam autem. 21. hîc.

71. *Legato genere electio speciei penes legatarium est*, §. Is generaliter. 22. hîc.

72. *Optionis legatum in se habet conditionem*, §. Optionis. 23. hîc.

73. *Electio olim solius legatarii erat, nec ad heredem transmittebatur*, d. §. Optionis. 23. hîc.

74. *Sed*

74. Sed hodie: Data est licentia heredi legatarii optare, d. §. Optionis. 23. hîc.

75. Legatum ne pereat unicè danda est opera, d. §. Optionis. 23. hîc.

76. Dissentientibus in corpore aliquo legatariis, sorte hoc dirimendum est. d. §. Optionis. 23. hîc.

77. Legari illis solùm potest, cum quibus est testamenti factio, §. Legari. 24. hic.

78. Incertis personis hodie legata relinqui possunt, §. Incertis. 25. hîc.

79. Incertis personis legata relicta & per errorem soluta, repeti non possunt, d. §. Incertis. 25. hîc.

80. Incertæ personæ sub certa demonstratione rectè legatur, d. §. Incertis. 25. hîc.

81. Posthumo alieno hodie rectè legatur, § posthumo. 26. hîc.

82. Tutor incertus dari non potest, §. Sed nec. 27. hîc.

83. Tutor certo judicio debet pro tutela suæ posteritati cavere, d. §. Sed nec. 27. hîc.

84. Posthumus alienus heres institui potest, §. posthumus. 28. hîc. cum distinct.

85. Cùm de persona constat, licet in nomine erratum sit, nihilominus valet legatum, §. Siquidem 29. hîc.

86. Si in heredis nomine forte erratum, nihilominus

minus tamen heredis institutio valet, d. §. Siquidem.29. hîc.

87. *Nomina significandorum hominum gratiâ reperta sunt*, d. §. Siquidem.29 hîc.

88. *Hinc: Si homines alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.* d. §. Siquidem. 28. hîc.

89. *Falsâ demonstratione legatum non perimitur* §. Huic proxima.30 hîc.

90. *Legato falsa causa adjecta non nocet*, §. Longè.31. hîc.

91. *Causa conditionaliter adjecta nocet legato*, d. §. Longè.31. hîc.

92. *Servo heredis purè inutiliter legatur*, §. An servo.32. hîc.

93. *Herede instituto servo domino rectè sine conditione legatur*, §. Ex diverso,33 hîc.

94. *Hereditas à legato separata est*, §. Ex diverso.33 hîc.

95. *Per servum alius heres potest effici*, d. § Ex diverso.33. hîc.

96. *Si servus prius quàm jussu domini adeat in alterius potestatem translatus sit, vel manumissus heres efficitur, utile est legatum*, d, §. Ex diverso. 33. hîc.

97. *Servus in eadem causa permanens, si jussu legatarii adierit, evanescit legatum*, d. §. Ex diverso.33. hîc.

98 Testa-

98. *Testamenta vim ex institutione heredis accipiunt*, §. Ante. 34. hîc.

99. *Heredis institutio veluti caput atque fundamentum testamenti esse intelligitur.* §. Ante. 34. hîc.

100. *Incivile est, scripturæ ordinem sequi. spernere autem testatoris voluntatem*, d. §. Ante. 34. hîc.

101. *Antiquitas & ipsa multa vituperavit*, d. § Ante. 34. hîc.

102. *Hodie ante heredis institutionem & intermedias heredis institutiones licet legata & libertatem relinquere*, d. §. Ante. 34. hîc.

103. *Libertatis quàm legatorum usus est favorabilior*, d. §. Ante. 34. hîc.

104. *Post mortem heredis aut legatarii inutiliter legatur*, §. Post mortem. 35. hîc.

105. *Scrupulositas Imperatoribus non placet*, §. Pœnæ. 36. hîc.

106. *Hodiè pœnæ loco, & cohercendi heredis causâ legari potest*, d. §. Pœnæ 36. hîc.

107. *Legata impossibilia non valent*, d. §. Pœnæ. 36. hîc.

108. *Legata legibus interdicta non valent*, d. §. Pœnæ. 36. hîc.

109 *Legata probrosa non valent*, d. §. Pœnæ. 36. hîc.

DE

DE ADEMPTIONE legatorum.

TIT. XXI.

ADemptio legatorum (sive eodem testamento adimantur, sive codicillis) firma est. Sed & sive contrariis verbis fiat ademptio: veluti si quis ita quid legaverit, *do lego*: ita adimatur, *non do, non lego*: sive non contrariis, sed & aliis quibuscumque verbis.

1. ¶ Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest: veluti si quis ita dixerit, *hominem Stichum, quem Titio legavi, Seio do lego*: sive in eodem testamento, sive in codicillis hoc fecerit. Quo casu simul [&] Titio adimi videtur, & Seio dari.

REGULÆ JURIS ex Titul. XXI. excerptæ.

1. *Ademptio legatorum fit & testamento & codicillis*, princ. hîc.

2. *Ademptio legatorum firma est*, d. princip. hîc.

3. *Ademptio quibuscunq; fiat verbis firma est*, d. princ. hîc.

4. *Ademptio legatorum verbis contrariis fieri potest*, d. princ. h. t.

5. *Ademptio legatorum verbis etiam non contrariis fieri potest*, d. pr. h. t.

6. *Transferri quoque legatum ab alio ad alium potest*, §. Transferri. I. h. t.

7. *Transferri legatum ad alium potest sive in eodem testamento sive in codicillis*, d. §. Transferri. I. hîc.

DE LEGE FALCIDIA.

TIT. XXII.

SUpereſt, ut de lege Falcidia diſpiciamus, qua modus noviſſimè legatis impoſitus eſt. Cùm enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare (quippe [cùm] eâ lege ita cautum eſſet; *ut quisq; legaſſet ſuæ rei, ita jus eſto*) viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare idq; ipſorum teſtatorũ gratia proviſum eſt ob id, quod plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. Et cùm ſuper hoc tam lex Furia, quàm lex Voconia latæ ſunt, quarum neutra ſufficiens ad rei conſummationem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0278
DFG

nem videbatur. Novissimè lata est lex Falcidia, quâ cavetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum: id est, ut sive unus heres institutus sit, sive plures, apud eum eósve pars quarta remaneat.

2. ¶ Et cùm quæsitum esset, duobus heredibus institutis (veluti Titio & Sejo) si Titii pars aut tota exhausta sit legatis, quæ nominatim ab eo data sunt, aut supra modum onerata: à Sejo verò aut nulla relicta sint legata, aut quæ partem eius duntaxat in partem dimidiam minuant: An, quia is quartam partem totius hereditatis aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta sunt, retinere liceat, ut quartam partem suæ partis salvam habeat: placuit posse retinere. Etenim in singulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est.

3. ¶ Quantitas autem patrimonii, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. Itaque (verbi gratiâ) si is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legaverit: nihil legatariis prodest, si ante aditâ hereditatem per servos hereditarios, aut ex parte ancillarum hereditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accesserit hereditati, ut centum [aureis] legatorum nomine erogatis heres

quartam partem hereditatis habiturus sit: sed necesse est, ut nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diverso, si septuaginta quinque legaverit, & ante aditam hereditatem in tantum decreverint bona (incendiis fortè, aut naufragiis, aut morte servorum) ut non amplius, quàm septuaginta quinque [aureorum substantia] vel etiam minus relinquatur: solida legata debentur: Nec ea res damnosa est heredi, cui liberum est non adire hereditatem, quæ res efficit, ut sit necesse legatariis, ne destituto testamento nihil consequantur, cum herede in portione paciſci. 4. ¶ Cùm autem ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum: Item funeris impensa, & pretia servorum manumissorum: tunc demum in reliquo ita ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud heredem remaneat, tres verò partes inter legatarios distribuantur: pro rata scilicet portione eius, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque si fingamus quadringentos aureos legatos esse & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum esse: quarta pars legatariis singulis debet detrahi. Quod si trecentos quinquaginta legatos fingamus: octava debet detrahi. Quod si quingentos legaverit: initio quinta, deinde quarta detrahi debet.

debet. Ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXII. excerptæ.

1. *Lege Falcidiâ modus novissimè legatis impositus est*, princ. hîc.

2. *Legandi licentia coarctanda fuit*, d. princ. hîc.

3. *Lex Falcidia testatorum gratiâ introducta est*, pr. hîc.

4. *Heredes scripti pro nullo aut minimo lucro adire hereditates recusant*, pr. hîc.

5. *Leges ad rei consummationem sufficientes esse debent*, princ. hîc.

6. *Falcidia detrahitur tam ab uno, quam à pluribus heredibus pro hereditatis portione.* d. princ. hîc.

7. *In Falcidia non attenditur, quod unius partis tota sit legatis exhausta, alterius verò nullo modo gravata*, §. Et cùm. 2. hîc.

8. *In singulis heredibus ratio legis Falcidiæ ponenda est*, d. § Et cùm. 2. hîc.

9. *Quantitas patrimonii, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur*, §. Quantitas. 3. hîc.

10. *Quod inter mortem & aditam hereditatem accedit, non prodest legatariis*, d. §. Quantitas. 3. hîc.

11. *Quod inter mortem & aditam hereditatem decedit, non nocet legatariis*, d. §. Quantitas. 3. hîc.

12. *Legatarii cum herede in portione possunt pacisci*, d. §. Quantitas. 3. hîc.

13. *Cùm ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum, funeris impensa, & pretia servorum manumissorum*, §. Cùm autem ratio. 4. hîc.

14. *Hisce deductis tres partes legatæ rei ad legatarium pertinent, quarta verò est heredis instituti*, d. §. Cùm autem. 4. hîc.

15. *Ficta etiam exempla rem illustrant*, §. Cùm autem. 4. hîc.

16. *Ante detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est, deinde quod ex bonis apud heredem remanere oportet*, d. §. Cùm autem. 4. hîc.

DE

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBUS: [& ad Senatusconsultum Trebellianum.]

TIT. XXIII.

NUnc transeamus ad fideicommissa, sed prius est, ut de hereditatibus fideicommissariis videamus.

1. Sciendum itaque est, omnia fideicommissa primis temporibus infirma fuisse, quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hereditatem, vel legata relinquere, si relinquebant, fidei committebant eorum, qui capere ex testamento poterant [hereditatem]. Et ideò fideicommissa appellata sunt, quia nullo vinculo juris, sed tantùm pudore eorum, qui rogabantur, continebantur. Postea D. Augustus primus, semel iterúmq; gratia personarum motus, vel quia per ipsius salutem rogatus quis diceretur, aut ob insignem quorundã perfidiam, jussit consulib. auctoritatem suã interponere. Quod quia jussum videbatur, & populare erat: paulatim conversum est in assiduam jurisdictionem: tantúsq;

eorum favor factus est, ut paulatim etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret, quem fideicommissarium appellabant.

2. ¶ In primis igitur sciendum est, opus esse, ut aliquis recto jure testamento heres instituatur: eiúsque fideicommittatur, ut eam hereditatem alii restituat. Alioqui inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur. Cùm igitur aliquis scripserit, *Lucius Titius heres esto*: potest adjicere, *rogo te Luci Titi, ut cùm primum poteris hereditatem meam adire, eam Cajo Sejo reddas, restituas.* Potest autem quisque & de parte restituenda heredem rogare. Et liberum est, vel purè, vel sub conditione relinquere fideicommissum, vel ex certo die.

3. ¶ Restitutâ autem hereditate, is quidem, qui restituit, nihilominus heres permanet: is verò qui recipit hereditatem, aliquando heredis, aliquando legatarii loco habetur.

4. ¶ Et Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo & Annæo Seneca consulibus senatusconsultum factum est: quo cautum est, ut si hereditas ex fideicommissi causa restituta sit: omnes actiones, quæ jure civili heredi, & in heredé competerent, ei, & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hereditas. Post quod Senatusconsultum prætor

tor utiles actiones ei, & in eum, qui recipit hereditatem, quasi heredi, & in heredem dare cœpit.

5. ¶ Sed quia heredes scripti, cùm aut totam hereditatem, aut penè totam plerunque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extingvebantur fideicommissa, postea Vespasiani Augusti temporibus Pegaso & Pusione consulibus Senatus censuit: ut ei, qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex singulis quoque rebus, quæ per fideicommissum relinquuntur, eadem retentio permissa est. Post quod Senatusconsultum ipse heres onera hereditaria sustinebat. Ille autem, qui ex fideicommisso recipiebat partem hereditatis, legatarii partiarii loco erat, id est, eius legatarii, cui pars bonorum legabatur, quæ species legati partitio vocabatur: quia cum herede legatarius partiebatur hereditatem. Unde quæ solebant stipulationes inter heredem & partiarium legatarium interponi: eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicommisso recepit hereditatem, & heredem, id est, ut lucrum & damnum hereditarium pro rata parte inter eos

commune esset. 6. ¶ Ergò siquidem non plus, quàm dodrantem herediratis scriptus heres rogatus sit restituere: tunc ex Trebelliano Senatusconsulto restituebatur hereditas, & in utrunque actiones hereditariæ pro rata parte dabantur: in heredem quidem jure civili: in eum verò, qui recipiebat hereditatem, ex Senatusconsulto Trebelliano tanquam in heredem. At si plus, quàm dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus esset: locus erat Pegasiano Senatusconsulto: & heres, qui semel adierat hereditatem (si modò suâ voluntate adierat) sive retinuerat quartam partem, sive retinere noluerat: ipse universa onera hereditaria sustinebat. Sed quarta quidem retenta quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur, tanquam inter partiarium legatarium & heredem. Si verò totam hereditatem restituerat, emptæ & venditæ hereditatis stipulationes interponebantur. Sed si recusabat scriptus heres adire hereditatem ob id, quòd diceret, eam sibi suspectam esse quasi damnosam: cavebatur Pegasiano Senatusconsulto, ut desiderante eo cui restituere rogatus esset, iussu prætoris adiret, & restitueret hereditatem: perindéque ei & in eum, qui reciperet hereditatem, actiones darentur, ac juris

est

est ex Trebelliano Senatusconsulto, quo casu nullis stipulationibus est opus: quia semel & huic, qui restituit, securitas datur & actiones hereditariæ ei & in eum transferuntur. Qui recipit hereditatem, utroq; Senatusconsulto in hac specie concurrente.

7. Sed quia stipulationes ex Senatusconsulto Pegasiano descendentes, & ipsi antiquitati displicuerunt, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenii Papinianus appellat, & nobis in legibus magis simplicitas quàm difficultas placet: Ideò omnibus nobis suggestis, tam similitudinibus, quàm differentiis utriusque Senatusconsulti, placuit, exploso Senatusconsulto Pegasiano, quod postea supervenit omnem auctoritatem Trebelliano Senatusconsulto præstare, ut ex eo fideicommissariæ hereditates restituantur: sive habeat heres ex voluntate testatoris quartam, sive plus, sive minus, sive nihil penitus: ut tunc, quando vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei vel quartam, vel quod deest, ex nostra auctoritate retinere, vel repetere solutum quasi ex Trebelliano Senatusconsulto: pro rata portione actionibus, tam in heredem, quàm in fideicommissarium competentibus. Si v. totam hereditatem sponte restituerit:

omnes

omnes hereditariæ actiones fideicommissario, & adversus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum Pegasiani Senatusconsulti fuerat, ut quando recusaret heres scriptus, sibi datam hereditatem adire, necessitas ei imponeretur totam hereditatem volenti fideicommissario restituere, & omnes ad eum & contra eum transferre actiones: & hoc transposuimus ad Senatusconsultum Trebellianum, ut ex hoc solo necessitas heredi imponatur, si ipso nolente adire, fideicommissarius desideret restitui sibi hereditatem, nullo nec damno nec commodo apud heredem remanente.

8. ¶ Nihil autem interest, utrum aliquis ex asse heres institutus, aut totam hereditatem, aut pro parte restituere rogatur: an ex parte heres institutus, aut totam eam partem, aut partem partis restituere rogatur. Nam & hoc casu eadem observari præcipimus, quæ in totius hereditatis restitutione diximus. 9 ¶ Si quis unâ aliquâ re deducta, sive præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo, vel aliâ re) rogatus sit restituere hereditatem: simili modo ex Trebelliano Senatusconsulto restitutio fiet, perinde ac si quartâ parte retentâ rogatus esset reliquam hereditatem restituere. Sed illud interest, quod altero

tero casu, id est, cùm deductâ sive præceptâ aliquâ re, restituitur hereditas, in solidum ex eo Senatusconsulto actiones transferuntur: & res, quæ remanet apud heredem, sine ullo onere hereditario apud eum remanet, quasi ex legato ei adquisita: altero verò casu, id est, cùm quartâ parte retentâ rogatus est heres restituere hereditatem, & restituit, scinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fideicommissarium, pro quadrante remanent apud heredem. Quinet. iam licet unâ re aliquâ deductâ aut præceptâ, restituere aliquis hereditatem rogatus sit, in qua maxima pars hereditatis contineatur: æquè in solidum transferuntur actiones: & secum deliberare debet is, cui restituitur hereditas, an expediat sibi restitui. Eadem scilicet interveniunt, & si duabus pluribúsve deductis præceptísve rebus, restituere hereditatem rogatus sit. Sed & si certa summa deducta præceptáve, quæ quartam, vel etiam maximam partem hereditatis continet, rogatus sit aliquis hereditatem restituere: idem juris est. Quæ [autem] diximus de eo, qui ex asse instituitus est: eadem transferimus & ad eum, qui ex parte heres scriptus est.

10. ¶ Præterea intestatus quoque moriturus, potest rogare eum, ad quem bona sua

vel

vel legitimo jure, vel honorario pertinere intelligit: ut hereditatem suam totam, partémve eius, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui restituat: cùm alioqui legata, nisi ex testamento, non valeant.

11. ¶ Eum quoque, cui aliquid restituitur, potest rogare, ut id rursum alii aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud restituat.

12. ¶ Et quia prima fideicommissorum cunabula à fide heredum pendent, & tam nomen, quàm substantiam acceperunt: ideò D. Augustus ad necessitatem juris ea retraxit. Nuper & nos eundem Principem superare contendentes, ex facto, quod Tribonianus vir excellentissimus exquæstore sacri palatii suggessit, constitutionem fecimus: per quam dispositum, si testator fidei heredis sui commisit vel hereditatem, vel speciale fideicommissum restituat: Et neq; ex scriptura, neque ex quinq; testium numero (qui in fideicommissis legitimus esse noscitur) possit res manifestari, sed vel pauciores, quàm quinque vel nemo penitùs testis intervenerit: tunc sive pater heredis, sive alius quicunque sit, qui fidem heredis elegerit, & ab eo restitui aliquid voluerit: si heres perfidiâ tentus adimplere fidē recusat, negando rem ita esse subsequu-

sequutam, si fideicommissarius jusjurandum ei detulerit, cùm prius ipse de calumnia juraverit: necesse eum habere vel jusjurandum subire, quod nihil tale à testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi vel universalis, vel specialis solutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas testatoris fidei heredis commissa. Eadem observari censuimus, & si à legatario vel fideicommissario aliquid similiter relictum sit. Quòd si is, à quo relictum dicitur, [postquam negaverit] confiteatur quidem aliquid à se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat: omninò solvere cogendus est.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIII. excerptæ.

1. *Quæ ad aliorum faciunt cognitionem, illa prius videnda sunt*, Princ. hic.

2. *Quibus non poterat hereditatem vel legata relinquere, fideicommittebant eorum, qui capere ex testamento poterant hereditatem*, §. Sciendum. 1. hic.

Fideicommissa nullo jure, sed pudore eorum, qui rogabantur, continebantur, d. §. Sciendum. 1. hic.

4. *Gra-*

4. *Gratia personarum moti Imperatores jura sæpè in melius deduxerunt.* d. §. Sciendum. 1. hîc.

5. *Ex malis moribus natæ sunt bonæ leges,* d. §. Sciendum. 1. hîc.

6. *Quod justum est, facile obtinet,* d. §. Sciendum. 1. ibi: Justum videbatur. hîc.

7. *Fideicommissa, quæ fiunt testamento, requirunt heredis institutionem,* §. Inprimis igitur. 2. hîc.

8. *Inutile est testamentum, in quo nemo heres instituitur,* d. §. Inprimis. 2. hîc.

9. *Potest quuq; & de parte restituenda heredem rogare,* d. §. Inprimis. 2. hîc.

10. *Liberum est jure, vel sub conditione, vel ex certo die relinquere fideicommissum,* d. §. Inprimis. 2. hîc.

11. *Qui hereditatem restituit, nunquam heres esse desinit,* d. §. Inprimis. 2. hîc.

12. *Factâ fideicommissi restitutione statim omnes res fiunt eius, cui restituta est hereditas,* d. §. Inprimis. 2. hîc.

13. *Ad legatarium transeunt actiones, quæ heredi & in heredem competunt,* §. Et Neronis. 4. hîc.

14. *Lucrum ubique quæritur.* §. Sed quia. 5. hîc.

14. In

15. *In fideicommissis quarta etiam pars deducitur*, §. Sed quia. 5. hîc.

16. *In quartam Falcidiæ non imputantur præcessiones, hoc est, prælegata & legata: sed in Trebellianicam computantur.* d. §. Sed quia. 5. hîc.

17. *Pro fideicommissis etiam actiones hereditariæ dantur*, d. §. Sed quia. 5. hîc.

18. *Hodie omnis autoritas Trebelliano Senatusconsulto concessa est*, §. Sed quia. 7. hîc.

19. *Captiosa quæ sunt, amovenda sunt.* d. §. Sed quia. 7. hîc.

20. *In legibus magis simplicitas, quàm difficultas placet*, d. §. Sed quia. 7. hîc.

21. *Recusans hereditatem adire scriptus heres debet totam hereditatem fideicommissario restituere*, d. §. Sed quia. 7. hîc.

22. *Heres invitus nullum habet ex fideicommisso vel commodum, vel incommodum*, d. §. Sed quia. 7. hîc.

23. *Trebellianum Senatusconsultum locum etiam habet, si heres pro parte institutus sit*, §. Nihil autem. 8. hîc.

24. *Si heres perceptâ re rogatur hereditatem restituere, res præcepta sine ullo onere hereditario apud eum remanet*, §. Si quis. 9. hîc.

25. *Si heres deductâ quartâ rogatur, hereditatem restituere actiones hereditariæ, & pro dodran-*

te ad fideicommissarium transeunt, & pro quadrante apud heredem scriptum permanent d. §. Si quis. 9. hîc.

26. Fideicommissa etiam ab intestato relinquuntur, §. Præterea. 10. hîc.

27. Legata nisi ex testamento, non valent, d. §. Præterea. 10. hîc.

28. Eum quoq; cui aliquid restituitur, potest rogare testator, vel alius, ut id rursum alii vel etiam aliud quid restituat, §. Cùm quoq;. 11. hîc.

29. Prima fideicommissorum cunabula à fide heredum pendent. §. Et quia 12. hîc.

30. A fide fideicommissa tam nomen quàm substantiam acceperunt. d §. Et quia. 12. hîc.

31. Principem alium Princeps superare contendens non est reprehendendus. d. §. Et quia. 12. hîc.

32. Si neque scriptura, neque testibus, neque aliâ probatione fideicommissarius probare possit, heredem fideicommisso gravatum, præstito prius calumniæ juramento heredem ad jurandum coget, §. Et quia. 12 hîc.

33. Vltima voluntas testatoris fidei heredis commissa omninò defendenda est, d. §. Et quia, 12. hîc.

34. In fideicommissis testium quinq; numerus legitimus est, d. §. Et quia 12. hîc.

35. Fas-

35. Fassus aliquid à se relictum esse, & ad legis subtilitatem recurrens omninò solvere cogendus est, d. §. Et quia. 12.

DE SINGULIS REbus per fideicommissum relictis.

TIT. XXIV.

POtest tamen quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere: veluti fundum, argentum, hominem, vestem [&] pecuniam numeratam: & vel ipsum heredem rogare, ut alicui restituat, vel legatarium, quamvis à legatario legari non possit.

1. ¶ Potest autem non solùm proprias res testator per fideicommissum relinquere: sed & heredis aut legatarii, aut fideicommissarii, aut cuiuslibet alterius. Itaque & legatarius & fideicommissarius non solùm de ea rogari potest, ut eam alicui restituat, quæ ei relicta sit: sed etiam de alia, sive ipsius, sive aliena sit. Hoc solùm observandum est, ne plus quisquam rogetur alicui restituere, quàm ipse ex testamento ceperit, nam quod amplius est, inutiliter relinquitur. Cùm

autem aliena res per fideicommissum relinquitur: necesse est ei, qui rogatus est, aut ipsam redimere & præstare, aut æstimationem eius solvere.

2. Libertas quoque servo per fideicommissum dari potest, ut heres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommissarius. Nec interest, utrum de suo proprio servo testator roget, an de eo, qui ipsius heredis, aut legatarii, vel etiam extranei sit. Itaque & alienus servus redimi & manumitti debet. Quòd si dominus eum non vendat: si modò nihil ex judicio eius, qui reliquit libertatem, recipit: non statim extinguitur fideicommissaria libertas, sed differtur, quoad possit tempore procedente, ubicunque occasio servi redimendi fuerit, præstari libertas. Qui autem ex fideicommissi causa manumittitur, non testatoris sit libertus, etiamsi testatoris servus sit, sed eius, qui manumittit. At is, qui directo ex testamento liber esse jubetur, ipsius testatoris libertus sit, qui etiam orcinus appellatur. Nec alius ullus directo ex testamento libertatē habere potest, quàm qui utroque tempore testatoris fuerit, & quo faceret testamentum, & quo moreretur. Directa autem libertas tunc dari videtur, cùm non ab alio servum manumitti rogat, sed velut

lut ex suo testamento libertatem ei competere vult.

3. ¶ Verba autem fideicommissorum hæc maximè in usu habentur, *peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ committo.* Quæ per se de singula firma sunt, atque si omnia in unum congesta essent.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIV. excerptæ.

1. *Potest quis etiam singulas res per fideicommissum relinquere*, princ. hîc.

2. *Per fideicommissum res testatoris relinqui possunt*, §. Potest. 1. hîc.

3. *Per fideicommissum res heredis relinqui possunt*, d. §. Potest, 1. hîc.

4. *Per fide commissum res legatarii relinqui possunt*, d. §. Potest. 1. hîc.

5. *Per fideicommissum res fideicommissarii relinqui possunt*, d. §. Potest. 1. hîc.

6. *Per fideicommissum res alienæ relinqui possunt.* d. §. Potest. 1. *Sed cum certa conditione.*

7. *Nemo potest aut debet plus alii restituere, quàm in testamento accepit*, d. §. Potest autem. 1. hîc.

8. *Aliena res per fideicommissum relicta aut re-*

dimenda est, & præstanda, vel æstimatio eius solvenda. d. §. potest. 1. hîc.

9. Libertas quoq; servo per fideicommissum dari potest, §, Libertas. 2. hîc.

10. Servo & proprio & alieno libertas per fideicommissum dari potest, d. §. Libertas. 2. hîc.

11. Servus alienus si non vendi-emi possit, differtur in tempus fideicommissaria libertas, in quo vendi-emi potest, d. §. Libertas. 2. hîc.

12. Ex fideicommissi causâ manumissus fit libertus eius, qui manumittit, d. §. Libertas. 2. hîc.

13 Qui directò in testamento liber esse jubetur, ipsius testatoris fit libertus, d. §. Libertas. 2. hîc.

14. Nemo directò ex testamento libertatem habere potest, quàm qui testatoris est tempore, quo facit testamentum, & quo moritur, d. §. Libertas. 2. hîc.

15. Verba usitata non immeritò adhibentur, §. Verba. 3. hîc.

16. Verba singula sæpè tantum operantur, quantum omnia apposita, d. §. Verba. a. 3. hîc.

DE CODICILLIS.

TIT. XXV.

Ante Augusti tempora constat codicillorum jus in usu non fuisse: sed primus Lucius Lentulus (ex cuius persona etiam

etiam fideicomissa [esse] cœperunt) codicillos introduxit. Nam cùm decederet in Africa, scripsit codicillos testamento confirmatos, quibus ab Augusto petiit per fideicommissum, ut faceret aliquid. Et cùm D. Augustus voluntatem eius implesset: deinceps reliqui eius autoritatem secuti, fideicommissa præstabant: & filia Lentuli legata, quæ jure non debebat, solvit. Dicitur autem Augustus convocasse sapientes viros, interq; eos Trebatium quoq;, cuius tunc auctoritas maxima erat, & quæsiisse, an possit recipi hoc, nec absonans à juris ratione codicillorum usus esset: & Trebatium svasisse Augusto, quòd diceret utilissimum & necessarium hoc civibus esse propter magnas & longas peregrinationes, quæ apud veteres fuissent: ubi si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset. Post quæ tempora, cùm & Labeo codicillos fecisset: nam nemini dubium erat, quin codicilli optimo jure admitterentur.

1. ¶ Non tantùm autem testamento facto potest quis codicillos facere, sed [&] intestatus quis decedens fideicommittere codicillis potest. Sed cùm ante testamentum factum codicilli facti erant: Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm si speciali postea voluntate confirmentur. Sed divi Se-

verus & Antoninus rescripserunt: ex iis codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti: si appareat eum, qui testamentum fecit, à voluntate, quam in codicillis expresserat, non recessisse.

2. ¶ Codicillis autem hereditas, neque dari, neque adimi potest: ne confundatur jus testamentorum & codicillorum, & ideò nec exheredatio scribi. Directo autem hereditas codicillis neque dari, neque adimi potest. Nam per fideicommissum hereditas codicillis jure relinquitur. Nec conditionem heredi instituto codicillis adjicere, neq; substituere directo [quis] potest.

3. ¶ Codicillos etiam plures quis facere potest, & nullam solennitatem ordinationis desiderant.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XXV. excerptæ.

1. *Iura per tempora variantur*, princ. hic.

2. *Ad exemplum principis facile se componunt cives*, d. pr. hic.

3. *Principes sapientes viros etiam in consilium adhibere debent*, d. princ. hic.

4. *A juris ratione non est absonans codicillorum usus*, d. princ. hic.

5. *ICtorum autoritas frequenter spectatur*, d. pr. h. c.

6. *Testa-*

6. *Testamento facto potest quis codicillos facere*, §. Non tantùm. 1. hîc.

7. *Intestatus quis decedens, fideicommittere codicillis potest*, d. §. Non tantùm. 1. hîc.

8. *Ante testamentum factum codicilli non aliter vires habent, quàm si speciali postea voluntate confirmentur*, d. §. Non tant. 1. hîc. (cillis. 2.

9. *Codicillis hereditas dari non potest*, §. Codi-

10. *Codicillis hereditas adimi non potest*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

11. *Ius codicillorum & testamentorum non est confundendum*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

12. *In codicilli exheredatio scribi non potest*, d. §, Codicillis. 2. hîc.

13. *Codicillis hereditas directo dari non potest*, d. §, Codicillis. 2. hîc.

4. *Codicillis hereditas directo adimi non potest*. d. §. Codicillis. 2. hîc.

15. *Per fideicommissum hereditas codicillis jure relinquitur*, d. §. Codicil. 2. hîc.

16. *Heredi instituto conditionem quis adjicere non potest*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

17. *Codicillis directo quis substituere non potest*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

18. *Codicillos plures quis facere potest*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

19. *Codicilli nullam solennitatem ordinationis desiderant*, d. §. Codicillis. 2. hîc.

INSTITUTIONUM SEU ELEMENTORUM D. Justiniani sacratissimi Principis,

LIBER TERTIUS:

DE HEREDITATIBUS quæ ab intestato deferuntur.

TITULUS PRIMUS.

INTESTATUS decedit, qui aut omninò testamentum non fecit: aut non jure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum irritúmve factum est, aut si ex eo nemo heres extiterit.

1. ¶ Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum, primùm ad suos heredes pertinent. 2. ¶ Sui autem heredes existimantur (ut suprà diximus) qui in potestate morientis fuerint, veluti filius filiáve, nepos neptísve ex filio, pronepos proneptísve

ptísve ex nepote ex filio natus prognatus prognatáve. Nec interest, utrum naturales sint liberi, an adoptivi. Quibus connumerari necesse est etiam eos, qui ex legitimis quidē [nuptiis vel] matrimoniis non sunt progeniti, curiis tamen civitatum dati secundum divalium constitutionum, quæ super his positæ sunt, tenorem [heredum] suorum jura nanciscuntur. Nec non eos, quos nostræ amplexæ sunt constitutiones, per quas jussimus [ut] si quis mulierem in suo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere conjugium, & ex ea liberos sustulerit; postea verò affectione procedente, etiam nuptialia instrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non solùm eos liberos, qui post dotem editi sunt, justos & in potestate patris esse: sed etiam anteriores, qui & iis, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præstiterunt. Quod obtinere censuimus, & si non progeniti fuerint post dotale instrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint subtracti. Ita demùm tamen nepos neptísve, pronepos proneptísve, suorum heredum numero sunt, si præcedens persona desierit in potestate parentis esse; sive morte id acciderit, sive aliâ ratione,

ne, velut emancipatione. Nam si per id tempus, quo quis moritur, filius in potestate eius sit: nepos ex eo, suus heres esse non potest. Idque & in cæteris deinceps liberorum personis dictum [esse] intelligimus. Posthumi quoque, qui si vivo parente nati essent, in potestate [eius] futuri forent, sui heredes sunt.

3. ¶ Sui autem heredes fiunt etiam ignorantes, & licet furiosi sint, heredes possunt existere: quia, quibus ex causis ignorantibus nobis adquiritur: ex his causis, & furiosis adquiri potest. Et statim morte parentis quasi continuatur dominium. Et ideo nec tutoris auctoritate opus est pupillis, cùm etiam ignorantibus acquiratur suis heredibus hereditas. Nec curatoris assensu acquiritur furioso, sed ipso jure.

4. ¶ Interdum autem, licet in potestate [parentis] mortis tempore suus heres non fuerit, tamen suus heres parenti efficitur: vel uti [si] ab hostibus quis reversus fuerit post mortem patris [sui.] Jus enim postliminii hoc facit. 5. ¶ Per contrarium [autem hoc] evenit, ut licet quis in familia defuncti ut mortis tempore, tamen suus heres non fiat: veluti si post mortem suam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria eius damnata fuerit, Suum enim heredem habe-

habere non potest, cùm fiscus ei succedat. Sed potest dici ipso [quidem] jure suum heredem esse, sed desinere.

6. ¶ Cùm filius filiáve, & ex altero filio nepos neptísve existunt, pariter ad hereditatem [avi] vocantur: nec qui gradu proximior est, ulteriorem excludit. Æquum enim esse videtur, nepotes neptésqve in patris sui locum succedere. Pari ratione & si nepos neptísve sit ex filio, & ex nepote pronepos proneptísve: simul vocantur. Et quia placuit nepotes neptésve, item pronepotes, proneptésve in parentis sui locum succedere: conveniens esse visum est, non in capita, sed in stirpes hereditatem dividi, ut filius partem dimidiam hereditatis habeat, & ex altero filio duo plurésve nepotes alteram dimidiam. Item si ex duobus filiis nepotes neptésve exsistant, ex altero unus fortè, aut duo, ex altero tres aut quatuor: ad unum aut duos dimidia pars pertineat, ad tres vel ad quatuor altera dimidia.

7. ¶ Cùm autem quæritur, an quis suus heres existere possit: eo tempore quærendum est, quo certum est, aliquem sine testamento decessisse, quod accidit & destituto testamento. Hac ratione, si filius exheredatus fuerit, & extraneus heres institutus, & filio mortuo

postea

postea certum fuerit, heredem institutum ex testamento non fieri heredem, aut quia noluit esse heres, aut quia non potuit, nepos avo suus heres existet: quia quo tempore certum est intestatum decessisse patremfamil. solus invenitur nepos. Et hoc certum est.

8. ¶ Et licet post mortem avi natus sit: tamen avo vivo conceptus, mortuo patre eius, posteaque deserto avi testamento, suus heres efficitur. Planè si & conceptus & natus fuerit post mortem avi: mortuo patre suo, desertoq; postea avi testamento, suus heres avo non existet: quia nullo jure cognationis patrē sui patris attigit. Sed nec ille est inter liberos avi, quem filius emancipatus adoptavit. Hi autem cùm non sint sui (quantum ad hereditatem) liberi: neque bonorum possessionem petere possunt, quasi proximi cognati. Hæc de suis heredibus. 9. ¶ Emancipati autem liberi, jure civili nihil juris habent, neque enim sui heredes sunt, qui in potestate parentis esse desierunt: neque ullo alio jure per legem duodecim tabularum vocantur. Sed prætor naturali æquitate motus, dat eis bonorū possessionem *Vnde liberi*, perinde ac si in potestate parentis tempore mortis fuissent: sive soli sint, sive cum suis heredibus con-

concurrant. Itaq; duobus liberis existentibus emancipato uno, & eo, qui tempore mortis in potestate fuerit; sanè quidem is, qui in potestate fuit, solus jure civili heres est, & solus suus heres, sed cùm emancipatus beneficio prætoris in partem admittitur: evenit, ut suus heres pro parte heres fiat.

10. ¶ At hi, qui emancipati à parente in adoptionem se dederunt, non admittuntur ad bona naturalis patris, quasi liberi, si modò cùm is moreretur, in adoptiva familia fuerint. Nam vivo eo emancipati ab adoptivo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec unquam in adoptiva familia fuissent. Et convenienter, quod ad adoptivum patrem pertinet, extraneorum loco esse incipiunt. Post mortem verò naturalis patris emancipati ab adoptivo patre: & quantum ad hunc adoptivum patrem pertinet, æquè extraneorum loco fiunt: & quantum ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciscuntur. Quòd ideò sic placuit, quia iniquum erat esse in potestate patris adoptivi, ad quos bona naturalis patris pertineant, utrum ad liberos eius, an ad agnatos.

11. ¶ Minus ergò juris habent adoptivi [filii], quàm naturales. Namque naturales eman-

emancipati, beneficio prætoris gradum liberorum retinent, licet jure civili perdant: adoptivi v. emancipati & jure civ. perdunt gradum liberorum, & à prætore non admittuntur, & rectè. Naturalia enim jura civilis ratio perimere non potest, nec quia desinunt sui heredes esse: possunt desinere filii filiæve, aut nepotes neptésve esse. Adoptivi verò emancipati, extraneorum loco incipiunt esse: quia jus nomènque filii filiæve, quod per adoptionem consecuti sunt, aliâ civili ratione, id est, emancipatione perdunt.

12. ¶ Eadè hæc observantur, & in ea bonorum possessione, quàm contra tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neq; heredibus institutis, neque ut oportet exheredatis, prætor pollicetur. Nam eos quidem qui in potestate mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat prætor ad eandem bonorum possessionem: eos verò, qui in adoptiva familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis parens moreretur, repellit. Item adoptivos liberos emancipatos ab adoptivo patre, sicut ab intestato, ita longè minùs contra tabulas testamenti ad bona eius [non] admittit. Quia desinunt [in] numero liberorum [eius] esse.

13. ¶ Admonendi tamen sumus, eos, qui natu-

in adoptiva familia sunt, quive post mortem naturalis parentis ab adoptivo patre emancipati fuerint: intestato parente naturali mortuo, licet eâ parte edicti, quâ liberi ad bonorũ possessionem vocantur, non admittantur, aliâ tamen parte vocari, scilicet quâ cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ita admittuntur, si neq; sui heredes liberi, neque emancipati obstent, neque adgnatus quidem ullus intervenial. Antè enim prætor liberos vocat tam suos heredes, quàm emancipatos, deinde legitimos heredes, deinde proximos cognatos.

14. ¶ Sed ea omnia antiquitati [quidem] placuerunt: aliquam autem emendationem à nostra constitutione acceperunt, quam superiis personis composuimus, quæ à patribus suis naturalibus in adoptionẽ aliis dantur. Invenimus etenim nonnullos casus, in quibus filii & naturalium parentum successionem propter adoptionem amittebant: & adoptione facilè per emancipationem solutâ, ad neutrius patris successionem vocabantur. Hoc solito more corrigentes, constitutionem scripsimus, per quam definivimus, quando parens naturalis filium suum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ita servari, atque si in patris naturalis potestate

permansisset, nec penitùs adoptio fuisset subsequuta: nisi in hoc tantùm modo casu, ut possit ab intestato ad patris adoptivi venire successionem. Testamento autem ab eo facto: neque jure civili, neque prætorio, ex hereditate eius aliquid persequi potest, neque contra tabulas bonorum possessione agnita, neque inofficiosi querela instituta: cùm nec necessitas patri adoptivo imponatur, vel heredem eum instituere, vel exheredatum eum facere, utpote nullo vinculo naturali copulatum, neque si ex Sabiniano Senatusconsulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nam & in eiusmodi casu neque quarta ei servatur, neque ulla actio ad eius persequutionem ei competit. Nostrâ autem constitutione exceptus est is, quem parens naturalis adoptandũ suscepit. Utroq; enim jure, tam naturali, quàm legitimo in hanc personam concurrente: pristina jura tali adeptioni servamus, quemadmodum si paterfamilias sese dederit adrogandum, quæ specialiter & singulatim ex præfatæ constitutionis tenore possunt colligi.

15. ¶ Item vetustas ex masculis progenitos plus diligens, solos nepotes vel neptes, quis[que ve] ex virili sexu descendunt, ad suorum vocabant successionem, & jure adgnatorum

rum eos anteponebat: nepotes autem, qui ex filiabus nati sunt, & pronepotes ex neptibus, cognatorum loco connumerans, post adgnatorum lineam eos vocabat, tam in avi, vel proavi materni, quàm in aviæ vel proaviæ, sive paternæ, sive maternæ successionem. Divi autem Principes non passi sunt talem contra naturam injuriam sine competenti emendatione relinquere: Sed cùm nepotis vel pronepotis nomen commune sit utriusque, tam qui ex masculis, quàm qui ex fœminis descendunt: ideò eundem gradum & ordinem successionis eis donaverunt. Sed ut amplius aliquid sit eis, qui non solùm naturæ, sed etiam veteris juris suffragiis muniuntur, portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps (de quib. suprà diximus) paulò minuendam esse existimaverunt: ut minus tertiâ parte acciperent, quàm mater eorũ. vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum vel avus paternus, sive maternus, quando fœmina mortua sit, cuius de hereditate agitur; iisq; (licet soli sint) adeuntib. adgnatos minimè vocabant. Et quemadmodum lex 12. tab. filio mortuo nepotes vel neptes, pronepotes vel proneptes in locum patris sui ad successionem avi sui vocat: ita & principalis dispositio in locũ

matris suæ vel aviæ, eos cùm jam designata partis tertiæ deminutione vocat.

16. ¶ Sed nos, cùm adhuc dubitatio maneret inter adgnatos & memoratos nepotes, quartam partem substantiæ defuncti adgnatis sibi vindicantibus ex cuiusdam constitutionis auctoritate: memoratam quidem constitutionem à nostro Codice segregavimus, neque inseri eam ex Theodosiano Codice in eo concessimus. Nostrâ autem constitutione promulgatâ, toti juri eius derogatum est: & sanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, superstitibus, adgnatos nullâ partem mortui successionis sibi vindicare: ne hi, qui ex transversa linea veniunt, potiores iis habeantur, qui recto jure descendunt. Quam constitutionem nostram obtinere secundùm sui vigorem & tempora, & nunc sancimus: ita tamen ut quemadmodum inter filios & nepotes ex filio antiquitas statuit, non in capita, sed in stirpes dividi hereditatem: similiter nos inter filios & nepotes ex filia, distributionem fieri jubeamus, vel inter omnes nepotes & neptes, & inter pronepotes & proneptes, & alias deinceps personas: ut utraque progenies, matris vel patris, aviæ vel avi, portionem sine ulla deminutione consequatur: ut si for-

ſi fortè unus vel duo ex una parte, ex altera tres aut quatuor extent: unus aut duo dimidiam, alteri tres aut quatuor alteram dimidiam hereditatis habeant.

REGULÆ JURIS
ex Tit. I. excerptæ.

1. *Inteſtatus decedit, qui omninò teſtamentum non fecit*, Princ. hic.

2. *Inteſtatus decedit, qui teſtamentum non jure fecit*, princ. hic.

3. *Inteſtatus decedit, ſi teſtamentum, quod fecit, ruptum irritumve factum eſt*, dict. princip. hic.

4. *Inteſtatus decedit, ſi ex teſtamento nemo heres extiterit* d. princ. hic.

5. *Inteſtatorum hereditates ex lege duodecim tabularum, primùm ad ſuos heredes pertinent*, §. In teſtamentorum. 1. hic.

6. *Sui heredes ſunt, qui in poteſtate morientis ſunt*, §. Sui heredes. 2. hic.

7. *Adoptivi etiam liberi ſui heredes ſunt*, §. Sui heredes. 2.

8. *Et legitimati ſunt ſui heredes*, §. Sui heredes. 2. hic.

9. *Per legitimationem & illi, qui anteriores ſunt, fiunt ſui heredes*, d. §. Sui heredes. 2. hic.

10. *Anteriores liberi iis, qui postea nati sunt, occasionem legitimi nominis præbuerunt*, d. §. Sui heredes. 2. hîc.

11. *Legitimatio retrotrahitur ad tempus conceptus*, d. §. Sui heredes. 2. hîc.

12. *Suus heres debet esse proximus in potestate*, d. §. Sui heredes. 2. hîc.

13. *Posthumi quoq; qui si vivo parente nati essent in potestate eius futuri forent, sui heredes sunt*, d. § Sui heredes. 2. hîc.

14. *Sui heredes fiunt etiam ignorantes*, §. Sui autem. 3. hîc.

15. *Quibus ex causis ignorantibus nobis acquiritur, ex his causis & furiosis acquiri potest*, d. §. Sui autem. 3. hîc.

16. *Dominium statim morte defuncti continuatur* d. §. Sui autem. 3. hîc.

17. *Pupillis non est opus tutoris autoritate*, d. §. Sui autem. 3. hîc.

18. *Ignorantibus acquiritur suis heredibus hereditas*, d. §. Sui autem. 3. hîc.

19. *Interdum, qui tempore mortis non est in potestate, tamen fit suus heres.* §. Interdum. 4. hîc.

20. *Interdum non fit suus heres, licet tempore mortis sit in potestate*, d. §. Interdum. 4. hîc.

21. *Qui perduellionis reus est, eius memoria damnatur*, §. Per contrarium. 5. hîc.

22. Per-

22. Perduellionis reus suum heredem habere non potest, d. §. Per contrarium, §. hîc.

23. Vbi fiscus succedit, ibi suus heres locum non habet, §. Per contr. §. hîc.

24. Nepotes in locum filiorum succedunt, §. Cùm filius. 6. hîc.

25. In successione qui gradu proximior est, ulteriorem non excludit. d. §. Cùm filius. 6. hîc.

26. In successione filiorum & nepotum fit divisio non in capita, sed in stirpes. d. §. Cùm filius. 6. hîc.

27. Id tempus spectandum est, quo certum est, aliquem sine testamento decessisse. §. Cùm autem. 7. hîc.

28. Qui tempore mortis conceptus, licet nondum natus, tamen pro suo habetur, §. Et licet. 8. hîc.

29. Post mortem avi conceptus & natus, non habetur pro suo, d. §. Et licet. 8. hic.

30. Qui nullo jure cognationis patrem patris sui attigit, suus esse potest heres. d. §. Et licet. 8. hîc.

31. Nec ille est inter liberos avi, quem filius emancipatus adoptavit, p. §. Et licet. 8. h c.

32. Cui non sunt sui liberi, neq; bonorum possessionem petere possunt, d. §. Et licet. 8. in fine. hîc.

33. *Emancipati liberi jure civili nihil juris habent*, §. Emancipati. 9. hîc.

34. *Non sunt sui heredes, qui in potestate parentum esse desierunt*. d. §. Emancipati autem. 9. hîc.

35. *Æquitatem naturalem respicit Prætor*, d. §. Emancipati. 9. hîc.

36. *Emancipatis prætor dat bonorum possessionem, unde liberi*, d. §. Emancipati. 9. hîc.

37. *Hinc: Emancipati cum suis heredibus concurrunt*, d. §. Emancipati. 9, hîc.

38. *Adoptivi non admittuntur ad bona naturalis patris*, §. At hi. 10. hîc.

39. *Vivo patre emancipati ab adoptivo patre, perinde admittuntur ad bona naturalis patris, ac si emancipati ab ipso essent, nec unquam in adoptiva familia fuissent*, d. §, At hi. 10. hîc.

40. *Minus habent juris adoptivi filii, quàm naturales*, §. Minus. 11. hîc.

41. *Naturales emancipati gradum liberorum jure civili perdunt*, d. §. Minus. 11. hîc.

42. *Naturales emancipati beneficio prætoris gradum liberorum retinent*, d. §. Minus. 11. hîc.

43. *Adoptivi emancipati, & jure civili perdunt gradum liberorum, & à prætore non admittuntur*, d. §. Minus. 11. hîc.

44. *Naturalia jura civilis ratio perimere non potest*, d. §. Minus. 11. hic.

45. Ne-

45, *Nomen liberorum est naturale*, d. §. Minus. 11. hîc.

46. *Adoptivi emancipati extraneorum loco esse incipiunt*, §. Minus. 11. hîc.

47. *Adoptivi nomen filii filiæve emancipatione perdunt*, d. §. Minus. 11. hîc.

48. *Possessio contra tabulas datur emancipatis*, §. Eadem. 12. hîc.

49. *Possessio contra tabulas non datur adoptivis* d. §. Eadem. 12. hîc.

50, *Ei, qui post mortem patris naturalis emancipatus est à patre adoptivo bonorum possessione, unde liberi, à prætore non succurritur*, d. § Eadem. 12. hîc.

51. *Adoptivi emancipati intestato naturali parente mortuo, quâ cognati defuncti ad bonorum possessionem vocantur*, §. Admonendi tamen. 13. hîc.

52. *Quæ antiquitati placuerunt, sæpè emendationem accipiunt*, §. Sed ea. 14. hîc.

53, *Successione filii non sunt defraudandi*, d. §. Sed ea. 14. hîc.

54. *Filius familias à patre naturali datus in adoptionem extraneo, eidem non succedit*, d. §. Sed ea. 14. hîc.

55. *Filius familias à patre naturali datus in adoptionem avo materno, eidem succedit*, d. §. Sed ea. 14. hîc.

56. *Patri adoptivo nulla necessitas imponitur, ut adoptivum heredem instituat, vel exheredatum faciat*, d. §. Sed ea. 14. hîc.

57. *Duo jura fortiora sunt uno*, d. §. Sed ea. 14. hîc.

58. *Vetustas ex masculis progenitos plus diligit*, §. Item vetustas. 15. hîc.

59. *Injuria contra naturam sine emendatione non est relinquenda.* d. §. Item vetustas. 15. hîc.

60. *Hodiè tam qui ex masculis, quàm qui ex fœminis descendunt, eundem gradum & ordinem successionis sunt consecuti*, d. §. Item vetustas. 15. hîc.

61. *Nepotes ex filio jure successionis integram partem patris sui accipiunt*, d. §. Item vetustas. 15. hîc.

62. *Nepotes ex filia non integram partem matris suæ, sed sine tertiâ parte accipiunt*, d. §. Item vetustas. 15. hîc.

63. *Nepotibus ex filia superstitibus agnati ad successionem demortui non admittuntur*, Sed nos. 16. hîc.

64. *Iuri per jus potest derogari*, §. Sed nos. 16. hîc.

65. *Qui ex transversa linea veniunt, iis, qui recto jure descendunt, non sunt habendi potiores*, d. § Sed nos. 16. hîc.

66. In-

66. *Inter filios & nepotes ex filio, in ſtirpes fieri debet hereditatis diviſio.* d. §. Sed nos. 15. hic.

DE LEGITIMA ADGNATORUM ſucceſſione.

TIT. II.

SI nemo ſuus heres, vel eorum, quos inter ſuos heredes prætor, vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur: tunc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hereditas.

1. ¶ Sunt autem adgnati (ut primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis ſexus perſonas cognatione conjuncti, quaſi à patre connati. Itaque [ex] eodem patre nati fratres, adgnati ſibi ſunt, qui & conſangvinei vocantur: Nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & invicem is illi adgnatus eſt. Eodem numero ſunt fratres patrueles, id eſt, qui ex duobus fratribus procreati ſunt, qui etiam conſobrini vocantur. Quâ ratione etiam ad plures gradus adgnationis pervenire

nire poterimus. Ii etiam, qui post mortem patris nascuntur, jura consangvinitatis nanciscuntur. Non tamen omnibus simul adgnatis dat lex hereditatem: sed iis, qui tunc proximiores gradu sunt, cùm certum esse coperit, aliquem intestatum decessisse.

2. ¶ Per adoptionem quoque adgnationis jus consistit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptavit. Nec dubium est, quin impropriè consangvinei appellentur. Item si quis ex cæteris adgnatis [tuis] veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu est, adoptaverit aliquem: adgnatus inter suos heredes esse non dubitatur.

3. ¶ Cæterùm, inter masculos quidem adgnationis jure hereditas, etiam si longissimo gradu sunt, ultrò citróque capitur. Quod ad fœminas verò attinet: ita placebat, utipsæ consangvinitatis jure tantùm capiant hereditatem, si sorores sint: ulterius non capiant, masculi autem ad earum hereditates (etiam si longissimo gradu sint) admittantur. Qua de causa fratris tui, aut patrui tui filiæ, velamitæ tuæ hereditas ad te pertinebat: tua verò ad illas non pertinebat. Quod ideò ita constitutum erat, quia commodiùs videbatur ita jura constitui, ut plerumque hereditates

ad

ad maſculos confluerent. Sed quia ſane iniquum erat, in universum eas quaſi extraneas repelli: prætor eas ad bonorum poſſeſſionem admittit eâ parte, quâ proximitatis nomine bonorum poſſeſſionē pollicetur, ex qua parte ita ſcilicet admittuntur, ſi neque adgnatus ullus, neq; proximior cognatus interveniat. Et hæc quidē lex duodecim tabularum nullo modo introduxit: ſed ſimplicitatem legibus amicam amplexam, ſimili modo omnes adgnatos, ſive maſculos, ſive fœminas, cuiuſcunque gradus, ad ſimilitudinem ſuorum invicem ad ſucceſſionem vocabat. Media autem juriſprudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum junior: imperiali autem diſpoſitione anterior: ſubtilitate quadam excogitatâ, præfatam differentiam inducebat, & penitùs eas à ſucceſſione adgnatorum repellebat. Omni aliâ ſucceſſione incognitâ, donec prætores paulatim aſperitatem juris civilis corrigentes: ſive quod derat, implentes humano propoſito, alium ordinem ſuis edictis addiderunt: & cognationis linea proximitatis nomine introducta, per bonorum poſſeſſionem eas adjuvabant, & pollicebantur his bonorum poſſeſſionem, quæ, *unde cognati* appellatur. Nos autem legem duodecim tabularum ſequentes, & eius veſti-

vestigia in hac parte conservantes, laudamus quidem prætores suæ humanitatis, non tamen eos in plenúm [huic] causæ mederi invenimus. Quare etenim uno eodémque gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis, tam in masculis, quàm in fœminis æquâ lance constitutis, masculis quidem dabatur ad successionem venire omnium adgnatorum: ex agnatis autem mulieribus nulli penitùs, nisi soli sorori, ad adgnatorum successionem patebat aditus? Ideò [nos] in plenum omnia reducentes, & ad jus duodecim tabularum eandem dispositionem exæquantes, nostrâ constitutione sancimus omnes legitimas personas, id est, per virilem sexum descendentes (sive masculini generis, sive fœminini sint) simili modo ad jura successionis legitimæ ab intestato vocari secundùm sui gradus prærogativam: nec ideò excludendas, quia consangvinitatis jura, sicut germanæ, non habent.

4. ¶ Hoc etiam addendum, nostræ constitutioni existimavimus, ut transferatur unus tantummodo gradus à jure cognationis in legitimã successionem; ut non solùm fratris filius & filia (secundùm quod jam definivimus) ad successionẽ patris sui vocentur sed etiam germanę consangvineæ vel sorori

ut

uterinæ filius & filia ſoli, & non deinceps perſonæ unà cum his ad jura avunculi ſui perveniant: & mortuo eo, qui patruus quidem eſt ſui fratris filiis, avunculus autem ſororis ſuæ ſoboli: ſimili modo ab utroque latere ſuccedant, tanquam ſi omnes ex maſculis deſcendentes, legitimo jure veniant, ſcilic. ubi frater & ſoror ſuperſtites non ſunt. His etenim perſonis præcedentibus & ſucceſſionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitus ſemoti, videlicet ex hereditate non in ſtirpes, ſed in capita dividenda.

5. ¶ Si plures ſint gradus adgnatorum: apertè lex duodecim tabularum proximum vocat. Itaque ſi (verbi gratiâ) ſint defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus: frater potior habetur. Et quamvis ſingulari numero uſa lex [duodecim tabularum] proximum vocet, tamen dubium non eſt, quin ſi plures ſint eiuſdem gradus omnes admittantur. Nam & propriè proximus ex pluribus gradibus intelligitur: & tamen non dubium eſt, quin licet unus ſit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hereditas.

6. ¶ Proximus autem, ſi quidem nullo teſtamento facto quiſquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cuius de hereditate quæritur. Quod ſi facto teſtamen-

mento quisquam decesserit: per hoc tempus requiritur, quo certum esse cœperit, nullum ex testamento heredē exstiturum: tunc enim propriè quisq; intestatus decessisse intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo spacio temporis sæpè accidit, ut proximiore mortuo, proximus esse incipat, qui moriente testatore non erat proximus.

7. ¶ Placebat autem in eo genere percipiendarum hereditatum successionem non esse, id est, ut quamvis proximus, qui secundùm ea, quæ diximus, vocatur ad hereditatem, aut spreverit hereditatem, aut antequam adeat, decesserit: nihilo magis legitimo jure sequentes admittantur. Quod iterum prætores imperfecto jure corrigentes, non in totum sine adminiculo relinquebant: sed ex cognatorum ordine eos vocabant, utpote adgnationis jure eis recluso. Sed nos nihil perfectissimo juri deesse cupientes, nostrâ constitutione, quam de jure patronatus, humanitate suggerente protulimus [sancimus] successionem in adgnatorum hereditatibus non esse eis denegandam: cùm satis absurdum erat, quod cognatis â prætore apertum est, hoc adgnatis esse reclusum: maximè cùm in onere quidem tutelarum & primo gradu defi-

deficiente, sequens succedit: & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permissum.

8. ¶ Ad legitimam successionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contractâ fiduciâ filium vel filiam, nepotem vel neptem, ac deinceps emancipat. Quod ex nostra constitutione omninò inducitur, ut emancipationes liberorum semper videantur quasi contractâ fiduciâ fieri: cùm apud veteres non aliter hoc obtinebat: nisi specialiter contractâ fiduciâ parens manumisisset.

REGULÆ JURIS
ex Tit. II. excerptæ.

1. *Si nemo suus heres existat, qui successionem quoquo modo amplectatur, tunc ad gradum proximum ex l. 12. tabularum pertinet hereditas*, Princ. hîc.

2. *Adgnati per virilis sexus personas cognatione conjunguntur*, §. Sunt autem. 1. hîc.

3. *Fratres ex eodem patre, licet non ex eadem matre nati, adgnati sunt.* §. Sunt autem. 1. hîc.

4. *Patruus fratris filio est adgnatus*, d. §. Sunt autem. 1. hîc.

5. *Fratris filius patruo est adgnatus*, d. §. Sunt autem. 1. hîc.

6. *Patrueles sibi invicem adgnati sunt*, §. Sunt autem. 1. hîc.

7. Lex illis dat hereditatem, qui tunc proximiores gradu sunt, cùm certum esse ceperit, aliquem intestatum decessisse. dict. §. Sunt autem. 1. hîc.

8. Per adoptionem quoq; adgnationis jus consistit §. Per adoptionem. 2. hîc.

9. Hinc: Filii naturales & ii, quos pater eorum adoptavit, adgnati sunt, d. §. Per adoptionem. 2. hîc.

10. Fit adgnatus & ille, qui ab alio ex adgnatis aliquo fuerit adoptatus, d. §. Per adoptionem. 2. hîc.

11. Inter masculos adgnationis jure hereditas etiamsi longissimo gradu sit, ultro citroq; capitur, §. Cæterum. 3. hîc.

12. In fœmininis jure consanguinitatis varietat olim successio. d. §. Cæterum. 3. hîc.

13. Sed hæc inter masculos & fœminas in successione differentia hodiè sublata est, §. Cæterum. 3. hîc.

14. Commodius videbatur ita jura constitui, ut plerunq; hereditates ad masculos confluerent, d. §, Cæterum 3. hîc.

15. Simplicitas legibus amica est, d. §. Cæterum. 3. hîc.

16. Hinc: Subtilitas legum amovenda est, d. §. Cæterum. 3. hîc.

17. Aspe-

17. *Asperitas juris civilis recte corrigitur*, d. §. Cæterum. 3. hîc.

18. *Conatus humanitatis in curatoribus etiam laudandus, quamvis non respondeat undiquaque eventus.* d. §. Cæterum. 3. hîc. ibi: Laudamus prætores suæ humanitatis.

19. *Causæ ut in plenum medeamur, videndum est, & annitendum.* dict. §. Cæterum. 3. hîc.

20. *Vbi idem gradus, ibi & successio eadem esse debet*, d. §. Cæterum. 3. hîc.

21. *Omnes adgnati, tam mares, quam fœminæ simili modo debent secundum gradus prærogativam succedere.* d. §. Cæterum inter. 3. hîc.

22. *Filius fratris, ut & filia hodiè patruo succedunt.* §. Hoc etiam addendum. 4. hîc.

23. *Sed tamen ita: Si nullus defuncti frater aut soror sint superstites*, d. §. Hoc etiam addend. 4. hîc.

24. *Sororis filius & filia quando concurrunt cum fratris filio, hereditas patrui & avunculi dividenda est in capita.* d. §. Hoc etiam addend. 4. hîc.

25. *Vbi plures sunt gradus adgnatorum, lex duodecim tabularum proximum vocat*, § Si plures. 5. hîc.

26. *Si plures eiusdem gradus, omnes simul adhibentur*, d. §. Si plures. 5. hîc.

27. *Proximus ex pluribus gradibus propriè intelligitur*, d. §. Si plures. 5. hîc.

28. *Licet unus sit gradus agnatorum, tamen pertinet ad eos hereditas.* d. §. Si plures. 5. hîc.

29. *Proximus per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quæritur*, §. Proximus. 6. hîc.

30. *Si nullo testamento facto decesserit: seu: Testamento non facto, spectatur tempus mortis*, d. §. Proximus. 6. hîc.

31 *Si facto testamento quis decesserit, per hoc tempus requiritur, nullum ex testamento heredem exstiturum*, d. §. Proximus. 6. hîc. *Testamento facto spectatur tempus deserti testamenti.* d. §.

32. *Quando nullus heres ex testamento existit, tum propriè quis intestatus decessisse intelligitur*, d. §. Proximus. 6. hîc.

33. *An quis heres sit extiturus aliquando longo tempore declaratur*, d. §. Proximus. 6. hîc.

34. *Fit sæpè, ut proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus*, d. § proximus. 6. hîc.

35. *Vno gradu deficiente huius in locum succedit alius*, §. Placebat. 7. hîc.

36. Præ-

36. *Prætores sæpè imperfectius jura correxerunt*, §. placebat. 7. hîc.

37. *Humanitas in jure constituendo attendenda est.* d. §. Placebat. 7. hîc.

38. *Non debet plus licere cognatis quàm agnatis*, d. §. Placebat. 7. hîc.

39. *Quod in onere obtinet, etiam in lucro est permissum*, d. §. Placebat. 7. hîc.

40. *Ad legitimam successionem etiam vocatur parens suos emancipans*, §. fin. hîc.

41. *Hodiè pater filii manumissi est & tutor & heres legitimus*, d. §. fin. hîc.

DE SENATUSCONSULTO Tertulliano.

TITUL. III.

LEx duodecim tabularum ita strictò jure utebatur, & præponebat masculorum progeniem, & eos, qui per fœminini sexus necessitudinem sibi junguntur, adeò expellebat, ut ne quidè inter matrem & filium filiámve ultrò citróque hereditatis capiendæ jus daret: nisi quod prætores ex proximitate cognatorum eas personas ad successionem, bonorum possessione *unde cognati*, adcom-

modata, vocabant 1. ¶ Sed hæ juris angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem divus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum, legitimam eorum detulit hereditatem. 2. ¶ Postea autem SCto Tertylliano, quod divi Hadriani temporibus factum est, plenissimè de tristi successione, matri non etiam aviæ deferendæ, cautum est: ut ingenua triũ liberorum jus habens, libertina quatuor ad bona filiorum filiarúmve admittatur intestato mortuorum, licet in potestate parentis sit: ut scilicet cum alieno juri subjecta est, jussu eius adeat [hereditatem], cuius juri subjecta est.

3. ¶ Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui sui sunt, quive suorum loco sunt, sive primi gradus, sive ulterioris. Sed & filiæ suæ mortuæ filius vel filia præponitur ex constitutionibus matri defunctæ, id est, aviæ suæ. Pater verò utriusque, non etiam avus & proavus matri anteponitur, scilicet cùm inter eos solos de hereditate agitur. Frater autem consanguineus tam filii, quàm filiæ excludebat matrem: soror autem consanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed si fuerant frater & soror consanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hereditas

ex

ex æquis partibus, fratribus & sororibus.

4. ¶ Sed nos constitutione, quam in Codice nostro nomine decorato posuimus, matri subveniendum esse existimavimus: respicientes ad naturam, & puerperium & periculum, & sæpè mortem ex hoc casu matribus illatam. Ideóq; impiũ esse credidimus, casum fortuitum in eius admitti detrimentum. Si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immeritò defraudabatur successione suorum liberorũ, quid enim peccavit, si non plures, sed paucos peperit? Et dedimus jus legitimum plenum matribus (sive ingenuis, sive libertinis) & si non ter enixæ fuerint vel quater, sed eum tantùm vel eam, qui quæve morte intercepti sunt, ut sic vocentur, in liberorum suorum legitimam successionem.

5. ¶ Sed cùm antea constitutiones jura legitimæ successionis perscrutantes, partim matrem adjuvabant, partim eam prægravabant, nec in solidum eam vocabant, sed in quibusdam casibus tertiam ei partem abstrahentes, certis legitimis dabant personis, in aliis autem contrarium faciebant: nobis visum est rectâ & simplici viâ matrem omnibus personis legitimis anteponi, & sine ulla deminutione filiorum suorum successionem

accipere; exceptâ fratris & sororis personâ, sive consanguinei sint, sive sola cognationis jura habentes: ut quemadmodũ eam toti alii ordini legitimo præposuimus, ita omnes fratres & sorores, sive legitimi sint, sive non, ad capiendas hereditates simul vocemus, ita tamen, ut si quidem solæ sorores adgnatæ vel cognatæ, & mater defuncti vel defunctæ supersint: dimidiam quidem mater, alteram verò dimidiam partem omnes sorores habeant. Si verò matre superstite & fratre, vel fratribus solis, vel etiam cum sororibus, sive legitima, sive sola cognationis jura habentibus, intestatus quis vel intestata moriatur: in capita distribuatur eius hereditas. 6. ¶ Sed quemadmodum nos matribus prospeximus, ita eas oportet suæ soboli consulere: scituris eis, quòd si tutores liberis non petierint, vel in locum remoti vel excusati, intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum morientium successione meritò repellentur.

7. ¶ Licet autem vulgo quæsitus sit filius filiave: potest [tamen] ad bona eius mater ex Tertylliano Senatusconsulto admitti.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. III. excerptæ.

1. *Lex duodecim tabularum præponebat masculorum progeniem*, Princ. hîc.

2. *Iuris angustiæ emendandæ sunt.* §. Sed hæ 1. hîc.

3. *Matri ad solatium liberorum amissorum defertur hereditas*, §. Posteà 2. hîc.

4. *Matribus subveniendum est.* §. Sed nos. 4. hîc.

5. *In matrum successione ad naturam, puerperium & periculum respiciendum est*, d. §. Sed nos. 4. hîc.

6. *Ex puerperio sæpè mors matribus illata*, §. Sed nos. 4. hîc.

7. *Impium est casum fortuitum in matris admitti detrimentum*, d. §. Sed nos. 4. hîc.

8. *Mater succedit non ea tantùm, quæ tres liberos, sed & quæ unum enixa.* d. §. Sed nos. 4. hîc.

9. *Mater succedit in solidum*, §. Sed cùm antea. 5. hîc.

10. *Recta & simplex via placet legibus*, d. §. Sed cùm antea. 5. hîc.

11. *Mater omnibus personis legitimis anteponitur*, d. §. Sed cùm antea. 5. hîc.

12. *Mater sine ulla deminutione filiorum suorum successionem accipit*, d. §. Sed cùm antea. 5. hîc.

13. *Mater cum sororibus tantùm concurrens dimidiam hereditatem habet*, d. §. Sed cùm antea. 5. hîc.

14. *Mater, si fratribus, vel cum fratribus & sororibus concurrat, in capita fiet divisio*, d. §. Sed cùm antea. 5. hîc.

15. *Beneficium beneficio compensandum est*, §. Sed quemadmodum. 6. hîc.

16. *Matres oportet suæ soboli consulere*, d. §. Sed quemadmodum. 6. hîc.

17. *Mater liberis tutores petere debet*, d. §. Sed quemadmodum. 6. hîc.

18. *Mater, si liberis tutores petere intra annum neglexerit, commodum successionis amittit*, d. §. Sed quemadmodum. 6. hîc.

19. *Ad bona vulgò quæsiti mater etiam admittitur*, §. fin. hîc.

DE SENATUSCONSULTO Orphitiano.

TITUL. IV.

PEr contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex Sena-

Senatusconsulto orphitiano, quod Orphitio & Rufo consulibus effectum est, divi Marci temporibus, & data est tam filio quàm filiæ legitima hereditas, etiam si alieno juri subjecti sint: & præferuntur consangvineis & adgnatis defunctæ matris.

1. ¶ Sed cùm ex hoc Senatusconsulto nepotes & [neptes] ad aviæ successionem legitimo jure non vocarentur: postea hoc constitutionibus principalibus emendatum est, ut ad similitudinem filiorum filiarúmque & nepotes & neptes vocentur.

2. ¶. Sciendum autem est, huiusmodi successiones, quæ in Tertylliano & Orphitiano SCtis deferuntur, capitis deminutione non perimi, propter illam regulam, quâ novæ hereditates legitimæ capitis deminutione non pereunt, sed illæ solæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.

3. ¶ Novissimè sciendum est, etiam illos liberos, qui vulgò quæsiti sunt, ad matris hereditatem ex hoc SCto admitti. 4. ¶ Si ex plurimis legitimis heredibus quidam omiserint hereditatem, vel morte, vel aliâ causâ impediti fuerint, quominus adeant: reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio: & licet ante decesserint, ad heredes tamen eorum pertinet.

R E-

REGULÆ JURIS
ex Tit. IV. excerptæ.

1. *Ex Senatusconsulto Orphitiano liberi ad bona matrum intestatorum admittuntur*, Princ. hîc.

2. *Hinc: In matris intestatæ bonis data est tam filio, quàm filiæ legitima hereditas, etiamsi alieno juri subjecti sunt*, d. princ. hîc.

3. *Filii & filiæ præferuntur consanguineis & adgnatis defunctæ matris*, d. pr. hîc.

4. *Ex Senatusconsulto Orphitiano nepotes & neptes ad aviæ successionem non vocantur*, §. Sed Cùm. 1. hîc.

5. *Iure constitutionum nepotes & neptes aviæ succedunt*, d. §. Sed cum. hîc.

6. *Successiones quæ ex Tertylliano & Orphitiano Senatusconsultis deferuntur, capitis deminutione non perimuntur.* §. Sciendum autem. 2. hîc.

7. *Nam: Novæ hereditates legitimæ capitis deminutione pereunt*, d. §. Sciendum autem. 2. hîc.

8. *Hereditates quæ ex lege 12. tabul. deferuntur, capitis deminutione pereunt*, §. Sciendum. 2. hîc.

9. *Ex SCto Orphitiano etiam vulgò quæsiti ad matris*

matris hereditatem admittuntur, §. Novissimè. 3. hic.

10. *Iuri accrescendi locus est in hereditatibus ab intestato*, §. Si ex plurimis. 4. hic.

11. *Ius accrescendi in hereditatibus hisce ab intestato etiam ad heredes transmittitur*, d. §. Si ex plurimis. 4. hic.

DE SUCCESSIONE cognatorum.

TIT. V.

POst suos heredes, eosque, quos inter suos heredes prætor & constitutiones vocant, & post legitimos (quo numero sunt adgnati, & hi, quos in locum adgnatorum tam supradicta Senatusconsulta, quàm nostra erexit constitutio) proximos cognatos prætor vocat.

1. ¶ Quâ parte naturalis cognatio spectatur. Nam adgnati capite deminuti, quíq; ex his progeniti sunt, ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, sed à prætore tertio ordine vocantur: exceptis solis tantummodo fratre & sorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anastasia-

ſtaſiana cum fratribus integri juris conſtitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hereditatem, ſive ſororis: non æquis tamen partibus, ſed cum aliqua deminutione, quam facilè eſt ex ipſius conſtitutionis verbis colligere. Aliis verò adgnatis inferioris gradus, licet capitis deminutionem non paſſi ſunt, tamen anteponit eos & procul dubio cognatis.

2. ¶ Eos etiam, qui per fœminini ſexus perſonas ex tranſverſo cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine prætor ad ſucceſſionem vocat.

3. ¶ Liberi quoque, qui in adoptiva familia ſunt, ad naturalium parentum hereditatem hoc eodem gradu vocantur. 4 ¶ Vulgò quæſitos, nullos habere adgnatos manifeſtum eſt: quum adgnatio à patre ſit, cognatio à matre, hi autem nullum patrem habere intelligantur. Eâdem ratione ne inter ſe quidem poſſunt videri conſanguinei eſſe: quia conſanguinitatis jus ſpecies eſt adgnationis. Tantum ergò cognati ſunt ſibi, ſicut & matri cognati ſunt. Itaq; omnibus iſtis [ex] ea parte competit bonorum poſſeſſio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

5. ¶ Hoc loco & illud neceſſariò admonendi ſumus: adgnationis quidem jure admitti aliquem ad hereditatem, etſi decimo gra-

gradu sit, sive de lege duodecim tabularum quæramus, sive de edicto, quo prætor legitimis heredibus daturum se bonorum possessionem pollicetur. Proximitatis verò nomine iis solis prætor promittit bonorum possessionem, qui usque ad sextum gradum cognationis sunt, & ex septimo sobrino sobrináque nato natæve.

REGULÆ JURIS ex Tit. V. excerptæ.

1. *Post suos heredes & agnatos proximos cognatos prætor etiam vocat*, Princ. hîc.

2. *In successione cognatorum naturalis cognatio spectatur*, §. Quâ parte. 1. hîc.

3. *Agnati mancipati ex l. 12. tab. inter legitimos non habentur*, d. §. Quâ parte. 1. hîc. *Sed jure prætori succedunt.*

4. *Frater & soror emancipati jure civili succedunt*, d. §. Quâ parte. 1. hîc.

5. *Eos etiam, qui per fœminini sexus personas ex transverso cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine prætor ad successonem vocat*, §. Eos etiam. 2. hîc.

6. *Liberi adoptivi ad naturalium parentum hereditatem etiam vocantur.* §. Liberi quoque. 3. hîc.

7. *Vul-*

7. *Vulgò quæsiti nullos habent agnatos*, §. Vulgò. 4. hîc.

8. *Agnatio à patre est, cognatio à matre*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

9. *Vulgò quæsiti nullum patrem habere intelliguntur*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

10. *Spurii non possunt esse inter se consangvini*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

11. *Consangvinitatis jus species est adgnationis*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

12. *Spurii sibi cognati sunt, sicut & matri*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

13. *Vulgò quæsitis competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur*, d. §. Vulgò. 4. hîc.

14. *Agnationis jure ad decimum usq; gradum succeditur*, §. Hoc loco. 5. hîc.

15. *Cognationis jure tantùm usque ad septimum gradum succeditur*, d. §. Hoc loco. 5. hîc.

DE GRADIBUS COgnationum.

TIT. VI.

HOc loco necessarium est exponere, quemadmodum gradus cognationis nume-

numerantur. Quare in primis admonendi sumus, cognationem aliam suprà numerari, aliam infrà, aliam ex transverso, quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio est parentum, inferior liberorum, ex transverso fratrum sororúmve, & eorum, qui quæve ex his generantur: & convenienter patrui, amitæ, avunculi, materteræ. Et superior quidem & inferior cognatio, à primo gradu incipit, at ea, quæ ex transverso numeratur, à secundo.

1. ¶ Primo gradu est suprà pater, mater: infrà filius filia. 2. ¶ Secundo [gradu] suprà avus, avia: infrà nepos, neptis. 3. ¶ Tertio [gradu] suprà proavus, proavia: infrà pronepos, proneptis; ex transverso fratris sororísque filius, filia, & convenienter patruus, amita, avunculus, matertera. Patruus est frater patris, qui Græcè πατράδελφος appellatur. Avunculus est frater matris, qui Græcè μητράδελφος dicitur, & uterq; promiscuè θεῖος appellatur: amita est patris soror, [quæ Græcè πατράδελφη appellatur.] Matertera verò matris soror, [quæ Græcè μητράδελφη dicitur,] & utraque promiscuè θεία appellatur.

4. ¶ Quarto gradu suprà abavus, abavia: infrà abnepos, abneptis: ex transverso fratris sororísque, nepos neptísve: & convenienter patruus magnus, amita magna, id est, avi frater & soror, item avunculus magnus, & matertera, id est, aviæ frater & soror. Consobrinus, consobrina, id est, qui quæve ex sororibus aut fratribus procreantur. Sed quidam rectè consobrinos eos propriè dici putant, qui ex duabus sororibus progenerantur, quasi consorinos: Eos verò qui ex duobus fratribus progenerantur, propriè fratres patrueles vocari. Si autè ex duob. fratribus filiæ nascuntur, sorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre & sorore progenerantur, amitinos propriè dici [putant]. Amitæ tuæ filii consobrinum te appellant, tu illos amitinos. §. ¶ Quinto [gradu] suprà adavus, adavia: infrà adnepos, adneptis: ex transverso fratris sororísque pronepos, proneptis: & convenienter propatruus, proamita, id est, proavi frater & soror, [&] proavunculus & promatertera, id est, proaviæ frater & soror. Item fratris patruelis, vel sororis patruelis, consobrini & consobrinæ, amitini & amitinæ filius filia, propius sobrino, propius sobrina. Hi sunt patrui magni, amitæ magnę, avunculi magni, materterę magnæ filius filia

6. ¶ Sex-

6. ¶ Sexto gradu suprà tritavus, tritavia: infrà trinepos, trineptis: ex transverso fratris sororísque abnepos, abneptis: & convenienter abpatruus, abamita, id est, abavi frater & soror, abavunculus, abmatertera, id est, abaviæ frater & soror. [Item propatrui, proamitæ, proavunculi, promatertera filius filia. Item propius sobrino sobrinâve filius filia:] Item sobrini, sobrinæ, id est, qui quæve ex fratribus vel sororibus, patruelibus vel consobrinis, vel amitinis progenerantur.

7. ¶ Hactenus ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palàm est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus: quippe semper generata persona gradum adjicit, ut longè facilius sit respondere, quoto quisque gradu sit, quàm propriâ cognationis appellatione quemquam denotare.

8. ¶ Adgnationis quoque gradus eodem modo numerantur.

9. ¶ Sed cùm magis veritas oculatâ fide, quàm per aures animis hominum infigatur: ideò necessarium duximus post narrationem graduum, eos etiam præsenti libro inscribi, quatenus possint & auribus, & oculorum in-

spectione adolescentes perfectissimam graduum doctrinam adipisci.

REGULÆ JURIS ex Tit. VI. excerptæ.

1. *Gradus cognationis quomodo numerentur cognitu necessarium est*, princ. hic.

2. *Cognatio diversimodè numeratur*, Princip. hic.

3. *Superior & inferior cognatio à primo gradu incipit*, d. pr. hic.

4. *Cognatio ex transverso à gradu secundo incipit*, d. princ. hic.

5. *Principiis cognitis, & illa, quæ hisce cognata sunt, facilè possunt cognosci.* §. Hactenus. 7. hic.

6. *Semper generata persona gradum adjicit*, d. §. Hactenus. 7. hic.

7. *Facilius est respondere, quoto quisque gradu sit, quàm propriâ cognationis apellatione quemquam denotare*, d. §. Hactenus. 7. hic.

8. *Adgnationis gradus eodem modo, quo cognationis numeratur*, §. Adgnationis quoq;. 8. hic.

9. *Veritas oculatâ fide magis quàm per aures animis hominum infigitur*, §. fin. hic.

10. Ta-

10. Tabellæ auribus subjectæ multum prosunt discentibus, d. §. fin. hic.

DE SERVILI COgnatione.

Tit. VII.

ILlud certum est, ad serviles cognationes illam partem edicti, quâ proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinere: Nam nec ullâ antiquâ lege talis cognatio computabatur. Sed nostrâ constitutione, quam pro jure patronatus fecimus (quod jus usque ad nostra tempora satis obscurum atque nube plenum & undiq; confusum fuerat) & hoc humanitate suggerente concessimus, ut si quis in servili constitutus consortio liberum vel liberos habuerit, sive ex libera, sive ex servilis conditionis muliere: vel contrà serva mulier ex libero vel servo habuerit liberos cuiuscunque sexus: & ad libertatem his pervenientibus, ii, qui ex servili ventre nati sunt, libertatem meruerint, vel dum mulieres liberæ erant, ipsi in servitute eos habuerint, & postea ad libertatem pervenerint: ut hi omnes ad successionem

patris vel matris veniant, patronatus jure in hac parte sopito. Hos n. liberos non solùm in suorum parentum successionem, sed etiam alterum in alterius successionem mutuam vocavimus, ex illa lege specialiter eos vocantes: sive soli inveniantur, qui in servitute nati, & postea manumissi sunt, sive unà cum aliis, qui post libertatem parentum concepti sunt: sive ex eodem patre, sive ex eadem matre, sive ex aliis nuptiis, ad similitudinem eorum, qui ex justis nuptiis procreati sunt.

1. ¶ Repertis itaque omnibus, quæ iam tradidimus, apparet non semper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari, eóque amplius, ne eum quidem, qui proximior sit cognatus, semper potiorem esse. Cùm enim prima causa sit suorum heredum, & eorum, quos inter suos heredes enumeravimus, apparet pronepotem vel abnepotem defuncti potiorem esse, quàm fratrem aut patrem matrémque defuncti: cùm alioqui pater quidem & mater (ut suprà quoque tradidimus) primũ gradum cognationis obtineant, frater verò secundum, pronepos autem tertio gradu sit cognationis, & abnepos quarto. Nec interest in potestate morientis fuerit, an non, quod vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex fœmineo sexu propagatus

gatus est. Amotis quoque suis heredibus, & quos inter suos heredes vocari diximus: adgnatus, qui integrum jus habet adgnationis, etiam si longissimo gradu sit, plerumque potior habetur, quâ proximior cognatus. Nam patrui nepos vel pronepos avunculo vel materterę præfertur. Totiens igitur dicimus aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati sunt: quotiens neq; suorum heredum, quiq; inter suos heredes sunt, neq; adgnationis [jure] aliquis præferri debeat secundùm ea, quæ tradidimus: exceptis fratre & sorore emancipatis, qui ad successionem fratrum vel sororum vocantur: qui, etsi capite deminuti sunt, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus adgnatis.

REGULÆ JURIS
ex Tit. VII. excerptæ.

1. *Ad serviles cognationes pars edicti, quâ proximitatis nomine bonorum possessio promittitur, non pertinet*, princ. hîc.

2. *Antiquæ leges simpliciter non sunt contemnendæ*, d. princ. hîc.

3. *Naturalis ratio suadet, ut liberi parentibus potius succedant, quàm patroni*, d. pr. hîc.

4. *Liberæ mulieris filius liber est, quamvis pater servus, manumisso patri filius succedit*, d. princip. hîc.

5. *Patre, matre & filio servis, post manumissis omnibus filius parentibus succedit.* dict. princ. hîc.

6. *Natus ex libero patre & servâ manumissus succedit patri*, d. pr. hîc.

7. *Natus ex servo & libera succedit ex jure communi matri, ex novo patri manumisso*, d. princ. hîc.

8. *Hereditas non semper defertur proximiori*, §. Repetitis. 1. hîc.

9. *Prima causa est suorum*, §. Repetitis. 1. hîc.

10. *Frater & emancipati ad successionem fratrum vel sororum vocantur.* d. §. Repetitis. 1. hîc.

DE SUCCESSIONE *libertorum*.

TIT. VIII.

NUnc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum suum impunè testamento præterire: Nam

Nam ita demùm lex duodecim tabularum ad hereditatem liberti vocabat patronum, si intestatus mortuus esset libertus, herede suo nullo relicto. Itaque intestato mortuo liberto, si is suum heredem reliquisset, patrono nihil in bonis eius juris erat. Et siquidem ex naturalibus liberis aliquem suum heredem reliquisset, nulla videbatur querela: si verò adoptivus filius fuisset, aperté iniquum erat, nihil patrono superesse.

1. ¶ Quâ de causa postea prætoris edicto hæc juris iniquitas emendata est, sive enim faciebat testamentum libertus, jubebatur ita testari, ut patrono partem dimidiam bonorum suorum relinquere, & si aut nihil, aut minus parte dimidiâ reliquerat: dabatur patrono contra tabulas testamenti partis dimidiæ bonorum possessio. Sive intestatus moriebatur, suo herede relicto filio adoptivo: dabatur æquè patrono contra hunc suum heredem, partis dimidiæ bonorum possessio. Prodesse autè liberto solebant ad excludendum patronum naturales liberi, non solùm quos in potestate mortis tempore habebat, sed etiam emancipati, & in adoptionem dati, si modò ex aliqua parte scripti heredes erant, aut præteriti contra tabulas bonorum possessionem ex edicto [prætorio] petierant,

nam exheredati nullo modo repellebant patronum.

2. ¶ Postea [verò] lege Papiâ adaucta sunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum est enim, ut ex bonis eius, qui sestertiûm centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quàm tres liberos habebat: sive is testamento facto, sive intestatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaq; cùm unum [quidem] filium filiámve heredē reliquerat libertus: perinde pars dimidia debebatur patrono, ac si is sine ullo filio filiáve intestatus decessisset. Cùm [verò] duos duásve heredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono, si tres reliquerat, repellebatur patronus.

3. ¶ Sed nostra constitutio, quam pro omni natione, Græca lingua compendioso tractatu habito composuimus: ita huiusmodi causam definivit, ut si quidem libertus vel liberta minores centariis sint, i. e. minus centum aureis habeant substantiam (sic n. legis Papiæ summam interpretati sumus, ut pro mille sestertiis unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorū successione: si tamen testamentum fecerint. Sin autem intestati decesserint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus jus (quod erat ex l. 12. tab.

tab.) integrum reservavit. Cùm verò majores centenariis sint, si heredes vel bonorum possessores liberos habeant, sive unum, sive plures, cujuscunq; sexus vel gradus: ad eos successionē parentū deduximus. Patronis omnibus modis unà cum sua progenie semotis. Sin autem sine liberis decesserint: siquidem intestati, ad omnē hereditatem patronos patronásve vocavimus: si verò testamentū quidem fecerint, patronos autem aut patronas præterierint, cùm nullos liberos haberent, vel habentes eos exheredárint, vel mater sive avus maternus eos præterierint, ita quod non possint argui inofficiosa eorū testamenta: tunc ex nostra constitutione per bonorum possessionem contra tabulas, non dimidiam (ut antea) sed tertiam partem bonorum liberti consequantur: vel quod deest, eis ex constitutione nostra repleatur, si quando minus tertiâ parte bonorum suorum libertus vel liberta eis reliquerit: ita sine onere, ut nec liberis liberti libertæve ex ea parte legata vel fideicommissa præstentur, sed ad coheredes eorū hoc onus redundet: multis aliis casib. à nobis in prefatâ constitutione congregatis, quos necessarios esse ad hujusmodi dispositionē juris perspeximus, ut tam patroni patronæq;, quā liberi eorū, necnō qui ex transverso latere veniunt,

usque

usque ad quintum gradum ad successionem libertorum libertarúmve vocentur, sicut ex ea constitutione intelligendum est: & si eiusdem patroni vel patronæ, vel duorum duarúmque pluriúmve liberi sint: qui proximior est, ad liberti vel libertæ vocetur successionem, & in capita, non in stirpes dividatur successio: eodem modo & in iis, qui ex transverso latere veniunt, servando. Penè enim consonantia jura ingenuitatis & libertinitatis in successionibus fecimus.

4. ¶ Sed hæc de iis libertinis hodiè dicenda sunt, qui in civitatem Romanam pervenerunt: cùm nec sint alii liberti, simul & Dedititiis & Latinis sublatis, cùm Latinorum legitimæ successiones nullę penitùs erant, quia licet ut liberi vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul animam atque libertatem amittebant, & quasi servorum bona eorum jure quodammodo peculii ex lege Julia [Norbana] manumissores detinebant. Postea verò Senatusconsulto Largiano cautum fuerat, ut liberi manumissoris non nominatim exheredati facti, extraneis heredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiam supervenit divi Trajani edictum, quod eundem hominem, si invito vel ignorante patrono ad civitatem Romanam

nam

nam venire ex beneficio Principis festinarat, faciebat quidem vivum civem Romanum, Latinum verò morientem. Sed nostrâ constitutione propter huiusmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipsis Latinis etiam legem Juniam, & Senatusconsultum Largianum, & edictum divi Trajani in perpetuum deleri censuimus: ut omnes liberti civitate Romanâ fruantur, & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipsas vias, quæ in Latinitatem ducebant, ad civitatem Romanam capiendam disposuimus.

REGULÆ JURIS ex Tit. VIII. excerptæ.

1. *Iniquitas juris rectè emendatur*, §. Qua de causa. 1. h. c.

2. *Exheredati nullo modo repellunt patronum*, d. §. Qua de causa. 1. hîc.

3. *Iura compendioso tractatu componenda sunt* §. Sed nostra. 3. hîc.

4. *Libertus si liberos reliquerit, patronus excluditur*, §. Sed nostra. 3. hîc.

5. *Libertus si sine liberis decesserit intestatus, ad omnem hereditatem patronus vocatur*, d. § Sed nostra. 3. hîc.

6. Li-

6. *Libertus si moritur testatus patrono præterito datur patrono tertia pars hereditatis*, d. § Sed nostra. 3. hîc.

7. *Ius successionis quoad patronum, pertinet non tantùm ad limitem directum, sed etiam ad transversum usque ad quintum gradum*, d. § Sed nostra. 3. hîc.

8. *In successione liberorum uno repudiante, proximus admittitur.* dict. §. Sed nostra. 3. hîc.

9. *Successio libertorum proximiori defertur etiam inter liberos*, d. §. Sed nostra. 3. hîc.

10. *Hereditas liberti dividitur in capita*, d. §. Sed nostra. 3. hîc.

11. *Ingenuitatis & libertinitatis penè consonantia in successionibus jam sunt facta jura*, d. §. Sed nostra. 3. hîc.

12. *Omnes liberi civitate Romanâ fruuntur*, §. fin. hîc.

DE *ASSIGNATIONE libertorum.*

TITUL. IX.

IN summa (quod ad bona libertorũ [attinet]) admonendi sumus, censuisse Senatum

natum, ut quamvis ad omnes patroni liberos qui eiusdem gradus sunt, æqualiter bona libertorum pertineant: tamen liceret parenti, unri ex liberis assignare libertum, ut post mortem eius solus is patronus habeatur, cui adsignatus est & cæteri liberi, qui ipsi quoque ad eadem bona, nullâ adsignatione interveniente pariter admitterentur, nihil juris in his bonis habeant: sed ita demùm pristinum jus recipiant, si is, cui adsignatus est, decesserit nullis liberis relictis.

1. ¶ Nec tantùm libertum, sed etiam libertam, & non tantùm filio nepotíve, sed etiam filiæ neptíve adsignare permittitur.

2. ¶ Datur autem hæc adsignandi facultas ei, qui duos plurésve liberos in potestate habebit, ut eis, quos in potestate habet, adsignare libertum libertámve liceat. Unde quærebatur, si eum, cui adsignavit, postea emancipaverit: num evanescat adsignatio? Sed placuit evanescere, quod & Juliano & aliis plerísque visum est. 3. ¶ Nec interest, [an] testamento quis adsignet, an sine testamento, sed etiam quibuscumque verbis patronis hoc permittitur facere ex ipso SCto, quod Claudianis temporibus factum est, Sabellio Rufo & Asterio Scapulâ consulibus.

RE-

REGULÆ JURIS ex Titul. IX. excerptæ.

1. *Ad omnes patroni liberos, qui eiusdem gradus sunt, æqualiter pertinent bona libertorum.* princ. hîc.

2. *Licet parenti uni ex liberis assignare libertum, ut post mortem eius solus is patronus habeatur, eiq; solus succedat,* d. princ hîc.

3. *Liberi, quibus libertus non est assignatus, pristinum jus recipiunt, si is, cui assignatus est, nullis relictis liberis decesserit.* d. pr. hîc.

4. *Non tantum libertum, sed & libertam assignare permittitur,* §. Nec tantùm. 1. hîc.

5. *Non tantùm filio nepotive, sed etiam filiæ neptive adsignare permittitur* d. § Nec tantùm. 1. hîc.

6. *Datur hæc adsignandi facultas ei, qui duos plurésve liberos in potestate habet.* §. Datur. 2. hîc.

7. *Per emancipationem evanescit adsignatio,* §. Datur. 2. hîc.

8. *Potest quis testamento adsignare,* §. Nec interest. 3. hîc.

9. *Potest & quis sine testamento, & quibusvis etiam verbis assignare,* §. Nec interest. 3. hîc.

DE

DE BONORUM POSSESSIONIBUS.

TIT. X.

JUs bonorum possessionis introductum est à prætore emendandi veteris juris gratiâ. Nec solùm in intestatorum hereditatibus vetus jus eo modo prætor emendavit, sicut suprà dictum est: sed in eorum quoque, qui testamento facto decesserint. Nam si alienus posthumus heres fuerit institutus: quamvis hereditatè jure civili adire non poterat, cùm institutio non valebat: honorario tamen jure bonorum possessor efficiebatur, videlicet cùm à prætore adjuvabatur. Sed & is à nostra constitutione hodiè rectè heres instituitur, quasi & jure civili non incognitus. Aliquando tamen neque emendandi, neque impugnandi veteris juris, sed magis confirmandi gratiâ [prætor] pollicetur bonorum possessionem. Nam illis quoque, qui rectè testamento facto heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem. Item ab intestato suos heredes, & adgnatos ad bonorum possessionem vocat. Sed & remotâ quoque bonorum possessione, ad eos

pertinet hereditas jure civili. 2. ¶ Quos autem solus vocat prætor ad hereditatem, heredes quidem ipso jure non fiunt, nam prætor heredem facere non potest, per legem enim tantùm, vel similem juris constitutionem heredes fiunt, veluti per Senatusconsulta, & constitutiones principales, sed cùm eis prætor dat bonorum possessionem, loco heredum constituuntur, & vocantur bonorum possessores. Adhuc autem & alios complures gradus prætor fecit in bonorum possessionibus dandis, dum id agebat, ne quis sine successore moreretur. Nam angustissimis finibus constitutum per legem 12. tab. jus percipiendarum hereditatum, prætor ex bono & æquo dilatavit.

3. ¶ Sunt autem bonorum possessiones ex testamento quidem hæ. Prima, quæ præteritis liberis datur, vocatúrque *contra tabulas*. Secunda, quam omnibus jure scriptis heredibus prætor pollicetur, ideóque vocatur *secundum tabulas*. Et cùm de testamentis prius locutus est, ad intestatos transitum fecit. Et primo loco suis heredibus, & iis, qui ex edicto prætoris inter suos heredes connumerantur, dat bonorum possessionem, quæ vocatur *unde liberi*. Secundo legitimis heredibus. Tertio, decem personis, quas extraneo manu-

manumissori præferebat. Sunt autem decem personæ hæ: pater, mater, avus, avia, tam paterni, quàm materni: item filius, filia, nepos, neptis, tam ex filio, quàm ex filia: frater sororve consanguinei vel uterini. Quarto cognatis proximis. Quinto, *tanquam ex familia* Sexto, patrono patronæque, liberisq; eorum, & parentibus. Septimo, viro & uxori. Octavo, cognatis manumissoris.

4. ¶ Sed eas quidem prætoria introduxit jurisdictio. A nobis tamen nihil incuriosum prætermissum est, sed nostris constitutionibus omnia corrigentes, contra tabulas quidem & secundum tabulas bonorum possessiones admisimus, utpote necessarias constitutas: nec non ab intestato *unde liberi & unde legitimi* bonorum possessiones. Quæ autem in prætoris edicto quinto loco posita fuerat, id est, *unde decem personæ*. Eam pio proposito, & compendioso sermone supervacuam ostendimus. Cùm enim præfata bonorum possessio decem personas præponebat extraneo manumissori: nostra constitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eisdémque manumissoribus contractâ fiduciâ manumissionem facere dedit: ut ipsa manumissio eorum hoc in se habeat privilegium, & supervacua fiat

supradicta bonorum possessio. Sublatâ igitur prædictâ quintâ bonorum possessione, in gradum eius sextam antea bonorum possessionem induximus: & quintam fecimus, quam prætor proximis cognatis pollicetur. Cúmq; antea fuerat septimo loco bonorum possessio, *tanquam ex familiâ*, & octavo, *unde patroni patronæq; & parentes eorum*: utramque per constitutionem nostram, quam de jure patronatus fecimus, penitùs evacuavimus. Cùm enim ad similitudinem successionis ingenuorum, libertinorum successiones posuimus, quas usque ad quintum gradum tantummodo coarctavimus, ut sit aliqua inter ingenuos & libertinos differentia: sufficit eis tam contra tabulas bonorum possessio, quàm *unde legitimi*, & *unde cognati*, ex quibus possunt sua jura vindicare, omni scrupulositate & inextricabili errore istarum duarum bonorum possessionum resoluta. Aliam verò bonorum possessionem, quæ *unde vir & uxor* appellatur, & nono loco inter veteres bonorum possessiones posita fuerat, & in suo vigore servavimus, & altiore loco, id est, sexto eam posuimus: decimâ quoque bonorum possessione, quæ erat *unde cognati manumissoris*, propter causas enumeratas meritò sublata, ut sex tantummodo bonorum possessiones ordinariæ

riæ permaneant, suo vigore pollentes. Septima eas secuta, quam optimâ ratione prætores introduxerunt. Noviſſimè enim promittitur edicto iis etiam bonorum poſſeſſio, quibus, ut detur, lege, vel Senatusconſulto, vel conſtitutione comprehenſum eſt: quam neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis, quæ ex teſtamento ſunt, prætor ſtabili jure connumeravit: ſed quaſi ultimum & extraordinarium auxilium (prout res exegit) accommodavit, ſcilicet iis, qui ex legibus, Senatuſconſultis, conſtitutionibusve Principum, ex novo jure, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato veniunt. Cùm igitur plures ſpecies ſucceſſionum prætor introduxiſſet, eásque per ordinem diſpoſuiſſet: & in unaquaque ſpecie ſucceſſionis ſæpè plures exſtent diſpari gradu perſonæ: ne actiones creditorũ differrentur, ſed haberent quos convenirent, & ne facilè in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo ſibi conſulerent: ideò petendæ bonorum poſſeſſioni certum tempus præfinivit. Libertis itaque & parentibus, tam naturalibus, quàm adoptivis in petenda bonorum poſſeſſione anni ſpacium cæteris [autem] adgnatis vel cognatis, centum dierum dedit,

5. ¶ Et ſi intra hoc tempus aliquis bonorum

possessionem non petierit: eiusdem gradus personis adcrescit: vel si nullus sit, deinceps cæteris bonorum possessionem perinde ex successorio edicto pollicetur, ac si is, qui præcedebat, ex eo numero non esset. Si quis itaq; delatam sibi bonorum possessionem repudiaverit, non quousq? tempus bonorum possessioni præfinitum excesserit, expectatur: sed statim cæteri ex eodem edicto admittuntur. In petenda autem bonorum possessione dies utiles singuli considerantur.

6. ¶ Sed benè anteriores Principes & huic causæ providerunt, ne quis pro petenda bonorum possessione curet: sed quocúnq; modo admittentis eam judicium (inter statuta tamen tempora) ostenderit, plenum habeat earum beneficium.

REGULÆ JURIS
ex Tit. X. excerptæ.

1. *Prætor quandoq; jus introducit, veteris juris emendandi gratiâ.* Princ. hîc.

2. *Prætor quandoq; jus introducit, veteris juris confirmandi gratiâ.* §. Nec solùm. 1. hîc.

3. *Vbi institutio non valet, ibi nec jure civili hereditatem adire quis potest.* d. §. Nec solùm. 1. hîc.

4. Præ-

4. *Prætor illis, qui recte testamento facto heredes instituti sunt, dat secundum tabulas bonorum possessionem*, d. §. Nec solùm. 1. hîc.

5. *Prætor ab intestato suos heredes & agnatos ad bonorum possessionem vocat*, d. § Nec solum. 1 hîc.

6. *Quos solus vocat prætor ad hereditatem, heredes ipso jure non fiunt*, §. Quos. a. 2. hîc.

7. *Nam: Prætor heredem facere non potest*. d. §. Quos autem. 2. hîc.

8. *Per legem tantùm aut similem juris constitutionem heredes fiunt*. d. §. Quos autem. 2. hîc.

9. *Nihil non tentavit Prætor, ne quis sine successore moreretur*. d. §. Quos a. 2. hîc.

10. *Tres bonorum possessiones Iustinianus rejecit* §. Sed eas. 4. hîc.

11. *Supervacua pro proposito & compendioso sermone resecanda sunt*, §. Sed eas. 4. hîc.

12. *Bonorum possessio est extraordinarium remedium*. d. §. Sed eas. in fin. hîc.

13. *Actiones creditorum non sunt differendæ*, d. §. Sed eas. 4. hîc.

14. *Hinc: Prætor petendæ bonorum possessioni certum tempus præfinivit*, d. §. Sed eas. 4 hîc.

15. *Libertis & parentibus in petenda bonorum possessione anni spacium dedit prætor*. §. Sed eas. 4. hîc.

16. *Cæteris agnatis vel cognatis in petenda bonorum possessione centum dierum spacium dedit prætor*, d. §. Sed eas. 4. hîc.

17. *Si intra definitum tempus bonorum possessionem quis non petierit, eiusdem gradus personis accrescit.* §. Etsi. 5. hîc.

18. *Qui ex uno capite excluduntur, ex cæteris capitibus successorio edicto ad bonorum possessionem possunt admitti*, d. §. Etsi. 5. hîc.

19. *Repudiatâ bonorum possessione ab uno, statim cæteri ex edicto eodem admittuntur*, d. §. Etsi. 5. hîc.

20. *In petenda bonorum possessione, dies utiles singuli considerantur.* d. §. Etsi. in fin. hîc.

21. *Sine magna solennitate hoc beneficium impetrari potest*, §. fin. hîc.

DE ADQVISITIONE per adrogationem.

TIT. XI.

EST & alterius generis per universitatem successio, quæ neque lege duodecim tabularum, neque prætoris edicto, sed eo jure, quod consensu receptum est, introducta est.

1. ¶ Ecce

1. ¶ Ecce enim cùm paterfamilias sese in adrogationem dat, omnes res eius corporales & incorporales, quæque ei debitæ sint, adrogatori antea quidem pleno jure adquirebantur: exceptis iis, quæ per capitis deminutionem pereunt, quales sunt operarum obligationes, & jus adgnationis. Usus etenim & ususfructus, licet his antea connumerabantur, attamen capitis deminutione minima eos tolli, prohibuit nostra constitutio.

2. ¶ Nunc autem nos eandem adquisitionem, quæ per adrogationem fiebat, coarctavimus ad similitudinem naturalium parentum. Nihil enim aliud, nisi tantummodo ususfructus tam naturalib. parentibus, quàm adoptivis per filios familiarum adquiritur in iis rebus, quæ extrinsecus filiis obveniunt, dominio eis integro servato. Mortuo autem filio adrogato in adoptiva familia, etiam dominium [rerum] eius ad adrogatorem pertransit: nisi supersint aliæ personæ, quæ ex constitutione nostra patrem in iis, quę adquiri non possunt, antecedant.

3. ¶ Sed ex diverso, pro eo, quod is debuit, qui se in adoptionem dedit, ipso quidem jure adrogator non tenetur, sed nomine filii convenitur: & si noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes

nostros magistratus bona, quæ eius cum usufructu futura fuissent, si se alieno juri non subjecisset, possidere & legitimo modo ea disponere.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XI. excerptæ

1. *Et consuetudine jus introduci potest.* Princ. hîc.

2. *Usus & ususfructus minimâ capitis deminutione non tolluntur,* §. Ecce. 1. hîc.

3. *Solus ususfructus acquiritur parentibus naturalibus & adoptivis in iis rebus, quæ extrinsecùs filiis obveniunt.* §. Nunc autem. 2. hîc.

4. *Filiis in rebus, quæ extrinsecùs obveniunt, dominium manet integrum.* d. §. Nunc autem. 2. hîc.

5. *Mortuo filio adrogato in adoptiva familia etiam dominium rerum eius ad adrogatorem pertransit.* d. §. Nunc autem. 2. hîc.

6. *Pro eo quod debuit, qui se in adoptionem dedit, non tenetur adrogator.* §. fin. hîc.

7. *Si adrogator adoptatum noluerit defendere, permittitur creditoribus per Magistratus bona, quæ eius cum usufructu futura fuissent, si se alieno juri non subjecisset, possidere.* §. fin. hîc.

DE

DE EO, CUI LIBERTATIS CAUSSÁ BONA ADDICUNTUR.

TIT. XII.

ACceſsit novus caſus ſucceſsionis ex conſtitutione divi Marci. Nam ſi ii, qui libertatem acceperunt, à domino in teſtamento, ex quo non aditur hereditas, velint bona ſibi addici libertatum conſervandarum cauſâ: audiuntur.

1. ¶ Et ita divi Marci reſcripto ad Pompilium Rufum continetur. Verba reſcripti ita ſe habent: Si Verginio Valenti, qui teſtamento ſuo libertatem quibuſdam adſcripſit, nemine ſucceſſore ab inteſtato exiſtente, in ea cauſa bona [eius] eſſe cœperunt, ut venire debeant: is, cuius de ea re notio eſt, aditus rationem deſiderii tui habebit, ut libertatum, tam earum, quæ directo, quàm earum, quæ per ſpeciē fideicommiſſi, relictæ ſunt. Tuendarum gratiá addicantur tibi: ſi idoneè creditoribus caveris de ſolido, quod cuique debetur, ſolvendo. Et ii quidem, quibus directa libertas data eſt, perinde liberi erunt, ac ſi hereditas adita eſſet. Ii autem, quos heres manumittere rogatus eſt, à te libertatem conſequentur: ita, ut ſi non aliá conditione velis tibi bona addici, quàm ut [ii] etiam, qui directò

ctò libertatem acceperunt, tui liberi fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ii, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accomodamus. Et ne huius rescriptionis nostræ emolumentũ aliâ ratione irritum fiat: si fiscus bona agnoscere voluerit, & ii, qui rebus nostris attendunt, sciant commodo pecuniario præferendam esse libertatis causam: & ita bona cogenda, ut libertas iis salva sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamento adita esset.

2. ¶ Hoc rescripto subventum est & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus possideantur & veneant. Certè si fuerint hac de causa bona addicta: cessat bonorum venditio. Existit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cavet.

3. ¶ Inprimis hoc rescriptum totiens locum habet, quotiens testamento libertates datæ sunt. Quid ergò si quis intestatus decedens, codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas: [an] favor constitutionis debebit locum habere? Certè si intestatus decesserit, & codicillis dederit libertatem: competere eam, nemini dubium est. 4. ¶ Tunc [enim] constitutioni locum esse verba ostendunt, cùm nemo successor ab

inte-

inteſtato exiſtat. Ergò quandiu incertum erit, vtrum exiſtat, an non: ceſſabit conſtitutio. Si verò certum eſſe cœperit, neminem exiſtere, tunc erit conſtitutioni locus.

5. ¶ Si is, qui in integrum reſtitui poteſt, abſtinuerit hereditate: an quamvis poteſt in integrum reſtitui, poſſit admitti conſtitutio, & bonorum addictio fieri? Quid ergò ſi poſt addictionem libertatum conſervandarum cauſâ factam in integrum ſit reſtitutus? Utique non erit dicendum, revocari liberates: quia ſemel competierunt.

6. ¶ Hæc conſtitutio libertatum tuendarum cauſâ introducta eſt. Ergò ſi libertates nullæ ſunt datæ: ceſſat [hæc] conſtitutio. Quid ergò ſi vivus dederit libertates, vel mortis cauſâ: & ne de hoc quæratur, utrum in fraudem creditorum, an non factum ſit, iccircò velint ſibi addici bona: an audiendi ſint? Et magis eſt, ut audiri debeant, etſi deficiant verba conſtitutionis.

7. ¶ Sed cùm multas diviſiones eiuſmodi conſtitutioni deeſſe perſpeximus, lata eſt â nobis pleniſſima conſtitutio, in qua multæ ſpecies collatæ ſunt, quibus jus huiuſmodi ſucceſſionis pleniſſimum eſt effectum, quas ex ipſius lectione conſtitutionis poteſt quis cognoſcere.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. XII. excerptæ.

1. *Qui libertatem acceperunt á domino in testamento, ex quo non aditur hereditas, illis bona possunt addici.* princ. hîc.

2. *Libertatum tuendarum causá multa favorabiliter introducta est*, §. Et ita. 1. hîc.

3. *Quibus bona addicuntur, illi idonei de solido creditoribus cavere debent:* d. §. Et ita divi. 1. hîc.

4. *Fiscus illis, qui petunt bona addici sibi, non est præferendus.* d. §. Et ita. 1. hîc.

5. *Commodo pecuniario præferenda est libertatis causá.* d. Et ita. 1. h. c.

6. *Et: Ita bona cogenda, ut libertas iis salva sit, qui eam adipisci potuerunt, ac si hereditas ex testamento adita esset*, d. §, Et ita 1. hîc.

7. *Rescripto Divi Marci de bonorum addictione libertatibus subvenitur.* §. Hoc rescripto. 2. hîc.

8. *Rescripto D. Marci de bonorum addictione defunctis etiam subvenitur.* d. §. Hoc rescripto. 2. hîc.

9. *Consultum est, ne bona defunctorum à creditoribus possideantur & veneant.* d. §. Hoc rescripto. 2. h. c.

10. *Vbi bona servo fuerint addicta, cessat bonorum venditio.* §. Hoc resc. 2. hîc. 11. Re-

11, *Rescriptum de bonorum addictione locum habet inprimis. ubi testamento libertates datæ sunt*, §. Inprimis. 3. hîc.

12, *Libertas si codicillis data, non tamen cessat de bonorum addictione rescriptum.* d. §. Inprimis. 3. hîc.

13. *Quamprimum certum est neminem existere heredem, tunc bonorum valet addictio.* §. Tunc enim. 4. hîc.

14. *Libertates quæ semel competierunt, non revocantur.* §, Si is. 5. hîc.

15. *Vbi non sunt datæ libertates, ibi non habet locum bonorum addictio.* §. Hæc constitutio. 6. hîc.

16. *Verbis legis etiam deficientibus sæpè favor valet.* d. §. Hæc constitutio. 6. hîc.

DE SUCCESSIONIBUS sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano.

TIT. XIII.

ERant ante prędictã successionem olim & aliæ per universitatem successiones,

nes, qualis fuerat bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta. Et tunc locum habebat, quando judicia ordinaria in usu fuerant, sed cum extraordinariis judiciis posteritas usa est: ideò cum ipsis ordinariis judiciis etiam bonorum venditiones expiraverunt, & tantummodo creditoribus datur officio judicis bona possidere, & prout utile eis visum est: ea disponere, quod ex latioribus Digestorum libris perfectius apparebit.

1. ¶ Erat & ex Senatusconsulto Claudiano miserabilis per universitatem adquisitio: cùm libera mulier servili amore bacchata, ipsam libertatem per SCtum amittebat, & cum libertate substantiam. Quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra civitate deleri, & non inseri nostris Digestis concessimus.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIII. excerptæ.

1. *Bonorum emptio per multas ambages olim erat introducta*, Princ. hîc.

2. *Creditoribus tantummodo datur officio judicis*

dicis bona possidere, & prout eis visum est, ea disponere, d. princ. hîc.

3. Mulier servili amore bacchata olim perdebat libertatem & substantiam. Quod hodiè sublatum est, §. Erat, 1. hîc.

4. Iura temporibus indigna delenda sunt, d. §. Erat. 1. hîc.

5. Iura antiqua brevissimis attingenda sunt, d. §. Erat. 1. hîc.

DE OBLIGATIONIBUS.

TIT. XIV.

NUnc transeamus ad obligationes. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendæ secundùm nostræ civitatis jura.

1. ¶ Omnium a. obligationum summa divisio in duo genera diducitur. Namq; aut civiles sunt, aut prætoriæ. Civiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatę sunt. Prætoriæ sunt, quas prætor ex sua jurisdictione constituit, quæ etiam honorariæ vocantur.

2. ¶ Sequens divisio in quatuor species dividitur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, ut de iis, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æquè quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. De quibus singulis dispiciamus.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIV. excerptæ.

1. *Transitiones commodæ non sunt negligendæ.* Princ. hîc.

2. *Omnis obligationis est, ut aliquis ad rem solvendam astringatur.* d. pr. hîc.

3. *Omnis obligatio necessitatem aliquam importat.* d. princ. hîc.

4. *Omnis obligatio secundum Romanæ civitatis jura fieri debet.* d. pr. hîc.

5. *Obligationes ex duobus tantùm fontibus suboriuntur.* §. Omnium autem. 1. hîc.

6. *Ex obligationibus, quæ ex contractu oriuntur, prius agendum est.* §. Sequens 2. hîc.

QVIBUS MODIS RE contrahitur obligatio.

TIT. XV.

RE contrahitur obligatio, veluti, mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata: ære, argento, auro, quas res aut numerando, aut metiendo, aut ad pendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis reddunturinde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu nascitur actio, quæ vocatur condictio.

1. ¶ Is quoque, qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem solvit, re obligatur: datúrq; agenti contra eum propter repetionem condictitia actio. Nam perinde ei condici potest, si apparet eum dare oportere, ac si mutuum accepisset. Unde pupillus, si ei sine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum est, non tenebitur indebiti condictione: non magis quàm mutui datione. Sed hæc species obligationis non videtur ex

contractu consistere: cùm is, qui solvendi animo dat, magis voluerit negocium distrahere, quàm contrahere.

2. ¶ Item is, cui res aliqua utenda datur, id est, commodatur, re obligatur & tenetur commodati actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longè distat. Namque non ita res datur, ut eius fiat, & ob id de ea re ipsa restituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit: veluti incendio, ruinâ naufragio, aut latronum hostiúmve incursu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui utendum accepit, sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur: nec sufficit ei tantam diligentiâ adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modò alius diligentior poterat eam rem custodire: sed propter majorem vim majorésve casus non tenetur, si modò non ipsius culpâ is casus intervenit. Alioqui si id, quòd tibi commodatum est domi, peregrè tecum ferre malueris, & vel incursu hostium prædonúmve, vel naufragio amiseris, dubium non est, quin de restituenda ea tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nullâ mercede acceptâ vel constitutâ, [res] tibi utenda data est. Alioqui mercede interveniente,

te, locatus tibi usus rei videtur. Gratuitum enim debet esse commodatum. 3. ¶ Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, tenetúrque actione depositi: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur. Sed is ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit. Culpæ autem nomine, id est, desidiæ ac negligentiæ, non tenetur. Itaque securus est, qui parùm diligenter custoditam rem furto amiserit: quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit, [non ei] sed suę facilitati id imputare debet.

4. ¶ Creditor quoq; , qui pignus accepit, re obligatur: quia & ipse de ea re, quam accepit, restituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quo magis pecunia ei credatur, & creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum: placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat: quam, si præstiterit, & aliquo fortuito casu rem amiserit; securum esse, nec impediri creditum petere.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XV. excerptæ.

1. *Mutui datione re contrahitur obligatio.* prin. hîc.

2. *Mutui datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurâ constant.* pr. hîc.

3. *Mutui datione res fiunt accipientium,* d. pr. hîc.

4. *In mutuo non eædem res, sed aliæ eiusdem naturæ & qualitatis redduntur.* d. princ. hîc.

5. *Ex mutuo nascitur condictio.* d. princ. hîc.

6. *Indebiti per errorem solutione re contrahitur obligatio.* §. Is quoque. 1. hîc.

7. *Ob indebiti solutionem oritur condictitia actio.* d. §. Is quoque 1. hîc.

8. *Pupillus ex mutuo sine autoritate tutoris non obligatur.* d. §. Is quoque. 1. hîc.

9. *Pupillus ex indebiti solutione sine autoritate tutoris non obligatur.* d. §. Is quoq;. 1. hîc.

10. *Indebiti solutio non videtur ex contractu consistere.* d. §. Is quoq;. 1. hîc.

11. *Qui solvendi animo dat, magis voluit negocium distrahere, quâm contrahere.* d. §. Is quoq;. 1. hîc.

12. *Commodato etiam re contrahitur obligatio.* §. Item. is. 2. hîc.

13. *Cui res utenda datur, commodati tenetur actione.* d. §. Item is. 2. hîc.

14. *Res in mutuo datur, ut eius fiat.* d. §. Item is. 2. hîc.

15. *In*

15. *In commodato res non datur, ut eius fiat.* d. § Item is. 2. hîc.

16. *Commodatarius de re commodata ipsa restituenda tenetur.* d. §. Item. 2. hîc.

17. *Qui mutuo accepit, si quolibet fortuito casu amiserit, nihilominus obligatus remanet.* §. Item is. 2. hîc.

18. *Qui rem utendam accepit, exactam diligentiam custodiendæ rei præstare jubetur.* d. §. Item is. 2. hîc.

19. *Commodatarius propter majorem vim majoresve casus non tenetur.* §. Item. 2. hîc.

20. *In commodato merces non debet intervenire.* d. §. Item is. 2. hîc.

21. *Gratuitum debet esse commodatum,* d. §. Item is. in fin. 2. hîc.

22. *Depositio etiam re contrahitur obligatio.* §. Præterea. 3. hîc.

23. *Depositarius tenetur actione depositi.* d. §. Præterea. 3. hîc.

24. *Depositarius de ea re, quam accepit, restituenda tenetur.* d. §. Præterea. 3 hîc.

25. *Depositarius ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit.* d. §. Præterea. 3. hîc.

26. *Depositarius desidiæ ac negligentiæ nomine non tenetur,* d. §. Præterea. 3. hîc.

27. *Depositarius securus est, etsi parùm diligenter custoditam rem furto amiserit.* §. Præterea. 3. hîc.

28. *Qui negligenti amico rem custodiendam tradit, non ei, sed quæ facilitati id imputare debet*, d. § Præterea. 3. hic.

29. *Et pignore re contrahitur obligatio*, §. fin. hic.

30. *Qui pignus accepit, de eo restituendo tenetur, actione pignoratitia*, d. §. fin. hic.

31. *Pignus utriusque gratiâ datur.* d. §. fin. hic.

32. *Ad pignus custodiendum exacta diligentia debet adhiberi*, d. §. fin. hîc.

33. *Qui pignus accepit, si exactam diligentiam præstiterit, & aliquo fortuito casu amiserit, non impeditur creditum petere*, d. §. fin. hîc.

DE VERBORUM OBligationibus.

TIT. XVI.

VErbis obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cùm quid dari fierive nobis stipulamur, ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio certi, si certa sit stipulatio: quàm ex stipulatu, si incerta sit. Quæ hoc nomine inde utitur, quod stipu-

stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte à stipite descendens.

1. ¶ In hac re olim talia verba tradita fuerunt, *Spondes? spondeo, Promittis? promitto.* [*Fide promittis? fide promitto.*] *Fidejubes? fidejubeo. Dabis? dabo. Facies? faciam.* Utrum autem Latina an Græcâ, vel quâlibet aliâ linguâ stipulatio concipiatur, nihil interest: scilicet si uterque stipulantium intellectum eius linguæ habeat. Nec necesse est, eâdem linguâ utrumque uti, sed sufficit congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latinâ linguâ obligationem contrahere possunt. Sed hæc solennia verba olim quidem in usu fuerunt: postea autem Leonina constitutio lata est, quæ solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solùm desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum est.

2. ¶ Omnis stipulatio, aut purè, aut in diem, aut sub conditione fit. Purè, veluti, *quinque aureos dare spondes?* Idque confestim peti potest. In diem: cùm adjecto die, quo pecunia solvatur, stipulatio fit: veluti: *decem aureos pr. mis Calendis Martiis dare spondes?* Id autem quod in diem stipulamur, statim quidem debetur: sed peti prius, quàm dies venerit, non potest, at ne eo quidem ipso die, in

quem stipulatio facta est, peti potest: quia totus id dies arbitrio solventis tribui debet. Neque enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse, prius, quàm is præterierit.

3. ¶ At si ita stipuleris, *decem aureos annuos, quoad vivam, dare spondes?* & purè facta obligatio intelligitur: & perpetuatur: quia ad tempus non potest deberi: sed heres petendo pacti exceptione submovetur.

4. ¶ Sub conditione stipulatio fit, cùm in aliquem casum differtur obligatio: ut si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio? veluti, *Si Titius consul fuerit factus, quinque aureos dare spondes?* Si quis ita stipuletur: *Si in capitolium non ascendero, dare spondes?* Perinde erit, ac si stipulatus esset, cùm moreretur, sibi dari. Ex conditionali stipulatione tantùm spes est debitū iri: eámque ipsam spem in heredem transmittimus, si prius quàm conditio exstet, mors nobis contigerit.

5. ¶ Loca etiam inseri stipulationi solent: veluti, *Carthagini dare spondes?* Quæ stipulatio licet purè fieri videtur, tamen re ipsâ habet tempus adjectum, quo promissor utatur ad pecuniam Carthagini dandam. Et ideò si quis Romæ ita stipuletur, *hodie Carthagini dare spon-*

spon-

ſpondes? inutilis erit ſtipulatio, cùm impoſſibilis ſit repromiſſio.

6. ¶ Conditiones, quæ ad præſens vel præteritum tempus referuntur, aut ſtatim infirmant obligationem, aut omnino non differunt. Veluti, *Si Titius Conſul fuit*, vel *ſi Mævius vivit, dare ſpondes?* Nam ſi ea ita non ſunt, nihil valet ſtipulatio: Sin autem ita ſe habent, ſtatim valet. Quæ enim per rerum naturam ſunt certa: non morantur obligationem, licet apud nos incerta ſint.

7. ¶ Non ſolùm res in ſtipulatum deduci poſſunt, ſed etiam facta: ut ſi ſtipulemur aliquid fieri, vel non fieri, & in huiuſmodi ſtipulationibus optimũ erit, pœnam ſubiicere, ne quantitas ſtipulationis in incerto ſit, ac neceſſe ſit actori probare, quod eius interſit. Itaque ſi quis ut fiat aliquid, ſtipuletur: ita adjici pœna debet: *Si ita factum non erit, tunc pœnæ nomine decem aureos ſpondes?* Sed ſi quædam fieri, quædam non fieri, unâ eademque conceptione ſtipuletur quis: Clauſula huiuſmodi erit adjicienda: *Si adverſus ea factum erit: ſive quid ita factum non fuerit: tunc pœnæ nomine decem aureos dare ſpondes?*

RE-

REGULÆ JURIS ex Tit. XVI. excerptæ.

1. *Obligatio, quæ verbis contrahitur, interrogatione & responsione constat*, princ. hîc.

2. *Ex verborum obligatione duæ oriuntur actiones*, princ. hîc.

3. *Verborum obligatio mox certum, mox incertum continet*, princ. hîc.

4. *Vtrum Latinâ vel Græcâ, vel quâlibet aliâ linguâ stipulatio concipiatur, nihil interest*, §. In hac re. 1. hîc.

5. *Vterque stipulantium intellectum linguæ eius habere debet, quâ utitur.* dict. §. In hac re. 1. hîc.

6. *Non necesse est in stipulationibus eâdem utrunque linguâ loqui.* d. §. In hac re. 1. hîc.

7. *Duo Græci linguâ latinâ etiam obligationem contrahere possunt*, d. §. In hac re. 1. hîc.

8. *Verborum solennitas hodiè in stipulationibus non requiritur*, d. §. In hac re. 1. hîc.

9. *Hinc: Sensus & consonans intellectus sufficit, quibuscunq; tandem verbis exprimatur*, d. §. In hac re. 1 hîc. in fin.

10. *Stipulatio purè fieri potest*, §. Omnis. 2. hîc.

11. *Quod*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0384
DFG

11. *Quod stipulatione purè facta promissum est, statim peti potest*, d. §. Omnis. 2. h c.

12. *Stipulatio & in diem fieri potest*, §. Omnis. 2. hîc.

13. *Quod in diem stipulamur, statim quidem debetur, sed peti prius, quàm dies venerit, non potest*, d. §. Omnis. 2. hîc.

14. *Eo ipso die, in quem stipulatio facta est, quod debetur, peti non potest.* d. §. Omnis. 2. hîc.

15. *Totus dies arbitrio solventis tribui debet.* d. §. Omnis. 2. hîc.

16. *Non certum est, eo die, in quem promissum est datum non esse prius, quàm is præterierit*, d. §. Omnis. 2. hîc.

17. *Stipulatio ad certum tempus pro pura habetur.* §. At si ita. 3. hîc.

18. *Stipulatio & sub conditione fit.* § Omnis stipulatio. 2. hîc. & §. Sub conditione stip. 4. hîc.

19. *Conditione impletâ & stipulatio valebit*, d. §. Sub conditione. 4. hîc.

20. *Ex conditionali stipulatione tantùm spes est debitum iri.* d. §. Sub cond. 4. hîc.

21. *Spem ex stipulatione etiam in heredem transmittimus*, d. §. Sub cond. 4. hîc.

22. *Stipulationi etiam loca inseri solent*, §. Loca. 5, hîc.

23. Im-

23. *Impossibilis conditio vitiat stipulationem.* d. §. Loco. §. hîc.

24. *Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omninò non differunt.* §. Conditiones. 6. hîc.

25. *Quæ per rerum naturam certa sunt, non morantur obligationem, licet apud eos incerta sint.* d. § Conditiones. 6. hîc.

26. *Et res & facta in stipulatum deduci possunt.* §, fin. hîc.

27. *In stipulationibus de factis optimum erit pœnam subjicere.* d. §. fin. hîc.

28. *Potest & quis quædam fieri, quædam non fieri, unâ eadémque conceptione stipulari.* dict. §. fin. hîc.

DE DUOBUS REIS stipulandi & promittendi.

TIT. XVII.

ET stipulandi & promittendi duo plurésve rei fieri possunt. Stipulandi ita, si post omnium interrogationem promissor respondeat. *Spondeo*: utputa cum duobus separa-

paratim stipulantibus ita promissor respondeat: *Vtrique vestrum dare spondeo.* Nam si prius Titio spoponderit, deinde alio interrogante spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse. Duo plurésque rei promittendi ita fiunt: *Mevi decem aureos dare spondes? & Seio eosdem decem aureos dare spondes:* [Si] respondant singuli separatim, *spondeo.*

1. ¶ Ex huiusmodi obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur. In utraque tamen obligatione una res vertitur: & vel alter debitum accipiendo, vel alter solvendo, omnium perimit obligationem, & omnes liberat. 2. ¶ Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem, vel sub conditione obligari potest, nec impedimento erit dies aut conditio, quo minus ab eo, qui purè obligatus est, petatur.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVII. excerptæ.

1. *Stipulandi & promittendi duo rei fieri possunt.* Princ. hic.

2. Duo-

2. *Duobus simul respondere debet promissor, aliàs duplex erit hîc obligatio*, Princ. hîc.

3. *Ex huiusmodi conjunctis obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur*, §. Ex huiusmodi. 1. h c.

4. *In utraque obligatione una res tamen debetur*. d. §. Ex huiusmodi. 1. hîc.

5. *Hinc: Alter debitum accipiendo, vel alter solvendo omnium perimit obligationem, & omnes liberat*, §. Ex huiusmodi. 1. hic.

6. *Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem vel sub conditione obligari potest*, §. Ex duobus. 2. hîc.

7. *Dies aut conditio non impedit, quo minus ab eo, qui purè obligatus est, petatur*, §. Ex duobus. 2. hîc.

DE STIPULATIONE servorum.

Tit. XVIII.

SErvus ex persona domini jus stipulandi habet. Sed & hereditas in plerisque personæ defuncti vicem sustinet. Ideoq; quod servus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, adquirit hereditati: per hoc

hoc etiam heredi postea facto adquiritur.

1. ¶ Sive autem domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipuletur: domino adquirit. Idem juris est, & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis adquirere possunt.

2. ¶ Sed cùm factum in stipulatione continebitur: omni modo persona stipulantis continetur: veluti si servus stipuletur, ut sibi ire agere liceat, ipse enim tantùm prohiberi non debet, non etiam dominus eius.

3. ¶ Servus communis stipulando, unicuiq; dominorum pro portione dominii adquirit: nisi jussu unius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus est. Nunc enim soli ei adquiritur. Quod servus communis stipulatur, si alteri ex dominis adquiri non potest: solidum alteri adquiritur, veluti si res, quam dari stipulatus est, unius domini sit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVIII. excerptæ.

1. *Servus ex persona domini jus stipulandi habet*, Princ. hîc.

2. *Servus hereditarius acquirit hereditati.* d. princ. hîc.

3. *Hereditas in plerisq; personæ vicem sustinet.* d. princ. hîc.

4. *Servus stipulando domino acquirit.* §. Sive autem. 1. hîc.

5. *Liberi, qui in potestate patris sunt, patri acquirunt stipulando,* dict. §. Sive autem. 1. hîc.

6. *Sed cùm factum in stipulatione continebitur, omni modo persona stipulantis continetur.* §. Sed cùm. 2. hîc.

7. *Servus communis stipulando unicuiq; dominorum pro portione dominii acquirit.* § Servus communis. 3. hîc.

8. *Servus communis si jussu unius, aut nominatim alicui eorum stipulatus, soli ei acquirit.* §. Servus communis. 3. hîc.

9. *Quod servus communis stipulatur, si alteri ex dominis acquiri non potest, solidum alteri acquiritur* d. §. Communis. 3. hîc.

DE *DIVISIONE STIpulationum.*

TIT. XIX.

STipulationum aliæ [sunt] judiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conventionales, aliæ

liæ communes, tam prætoriæ, quàm judiciales. 1. ¶ Judiciales sunt duntaxat, quæ à mero judicis officio proficiscuntur: veluti de dolo cautio. [Vel de persequendo servo, qui in fuga est: restituendóve pretio.]

2. ¶ Prætoriæ [sunt], quæ à mero prætoris officio proficiscuntur, veluti damni infecti, [vel legatorum.] Prætorias autem stipulationes sic exaudiri oportet, ut in his etiam contineantur ædilitiæ, nam & hæ à jurisdictione [prætoris] veniunt. 3. ¶ Conventionales sunt, quæ ex conventione utriusque partis concipiuntur: [hoc est, neque jussu judicis, neque jussu prætoris, sed ex conventione contrahentium, [quarum totidem genera sunt, quot (penè dixerim) rerum contrahendarum. 4. ¶ Communes sunt, veluti rem salvam fore pupillo. Nam & prætor jubet rem salvam fore pupillo caveri: & interdum jubet, si aliter hæc res expediri non potest: vel de rato stipulatio.

REGULÆ JURIS
ex Tit. XIX. excerptæ.

1. *Judiciales stipulationes à mero duntaxat judicis officio proficiscuntur.* §. Judiciales. 1. h. c.

2. *Prætoriæ stipulationes à mero prætoris officio proficiscuntur.* §. Prætoriæ. 2. hîc.

3. *Prætoriis stipulationibus etiam Ædilitiæ continentur.* d. §. Prætoriæ. 2. hîc.

4. *Conventionales stipulationes ex conventione utriusq; partis concipiuntur.* §. Conventionales. 3. hîc.

5. *Conventionalium stipulationum tot sunt genera, quot sunt rerum contrahendarum.* §. d. Conventionales. 3. hîc.

6. *In jure sæpè pro definitione exempla ponuntur.* arg. §. fin. hîc.

DE INUTILIBUS stipulationibus.

Tit. XX.

OMnis res, quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest: sive mobilis sit, sive soli.

1. ¶ At si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit: veluti Stichum, qui mortuus sit, quem vivere credebat: aut hippocentaurum, qui esse non possit: inutilis erit stipulatio.

2. ¶ Idem juris est, si rem sacram aut religio-

ligiosam, quam humani juris esse credebat: ut rem publicam, quæ usibus populi perpetuò exposita sit, ut forum, vel theatrum: vel liberum hominem, quem servum esse credebat, vel cuius commercium non habuerit: vel rem suam dari quis stipuletur. Nec in pendenti erit stipulatio ob id, quod publica res in privatum deduci, & ex libero servus fieri potest, & commercium adipisci stipulator potest, & res [sua] stipulatoris esse desinere potest: sed protinus inutilis est. Item contrà: licet initio utiliter res in stipulatum deducta sit, si [tamen] postea in aliquam eorum causam, de quibus suprà dictum est, sine facto promissoris devenerit, extingvitur stipulatio. At nec statim ab initio talis stipulatio valebit, *Lucium Titium, cùm servus erit, dare spondes?* & similia. Quæ enim natura sui dominio nostro exempta sunt, in obligationem deduci nullo modo possunt.

3. ¶ Si quis alium daturum facturúmve quid promiserit, non obligabitur: veluti si spondeat Titium quinque aureos daturum. Quod si effecturum se, ut Titius daret, sponderit, obligatur. 4. ¶ Si quis alii, quam ei, cuius juri subjectus sit, stipuletur, nihil agit. Plané solutio etiam in extraneam personam conferri potest. Veluti si quis ita

stipuletur, *Mihi aut Sejo dare spondes?* Ut obligatio quidem stipulatori adquiratur, solvi tamen Sejo, etiam invito eo, recté possit, ut liberatio ipso jure contingat, sed ille adversus Sejum habet mandati actionem. Quòd si quis sibi, & alii, cuius juri subjectus non sit, dari decé aureos stipulatus est: valet quidem stipulatio: sed utrum totum debeatur [stipulatori] quod in stipulationem deductum est, an verò pars dimidia: dubitatum est, sed placuit. Non plus quàm dimidiam partem ei adquiri. Ei [verò], qui juri tuo subjectus est, si stipulatus sis, tibi adquiris: quia vox tua tanquam filii sit, sicuti & filii vox tanquam tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi adquiri possunt. §. ¶ Præterea inutilis est stipulatio, si [quis] ad ea, quæ interrogatus fuerit, non respondeat: veluti si quis decem aureos à te dari stipuletur: tu quinq; promittas, vel contrà: aut si ille purè stipuletur, tu sub conditione promittas: vel contrà: si modò scilicet id exprimas, id est, si cui sub conditione, vel in diem stipulanti, tu respondeas, *præsenti die spondeo.* Nam si hoc solùm respondeas, *promitto*, breviter videris in eandem diem vel conditionē spopondisse. Neq; enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit. 6. ¶ Item inutilis

tilis eſt ſtipulatio, ſi vel ab eo ſtipuleris, qui tuo juri ſubjectus eſt, vel ſi is à te ſtipuletur. Sed ſervus quidem non ſolùm domino ſuo obligari non poteſt, ſed ne quidem ulli alii. Filii verò familiarum aliis obligari poſſunt. 7. ¶ Mutum neque ſtipulari, neq; promittere poſſe, palàm eſt. Quod & in ſurdo receptũ eſt: quia & is, qui ſtipulatur, verba promittentis, & is qui promittit, verba ſtipulantis audire debet, unde apparet, non de eo nos loqui, qui tardius exaudit: ſed de eo, qui omninò non audit 8. ¶ Furioſus nullum negociũ gerere poteſt: quia non intelligit, quod agit. 9 ¶ Pupillus omne negocium rectè gerit: ita tamen, ut ubi tutoris autoritas neceſſaria ſit, adhibeatur tutor: veluti ſi ipſe obligetur, nam aliũ ſibi etiam obligare ſine tutoris autoritate poteſt. 10. ¶ Sed quod diximus de pupillis, utique de iis verum eſt, qui jam habent aliquem intellectum. Nam infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multum à furioſo diſtant: quia huiuſmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum. Sed in proximis infantiæ, propter utilitatem eorum benignior juris interpretatio facta eſt: ut idem juris habeant, quod pubertati proximi. Sed qui in poteſtate parentis eſt impubes, ne auctore quidem patre obligatur.

11. ¶ Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur: nihil valet stipulatio. Impossibilis autem conditio habetur, cui natura impedimento est, quominus existat: veluti si quis ita dixerit, *Si digito cœlum attigero, dare spondes?* At si ita stipuletur, *Si digito cœlum non attigero, dare spondes?* purè facta obligatio intelligitur, ideóque statim peti potest. Item verborum obligatio inter absentes concepta, inutilis est. Sed cùm hoc materiam litium contentiosis hominibus præstabat, fortè post tempus tales obligationes opponentibus, & non præsentes fuisse, vel se, vel adversarios suos contendentibus: ideò nostra constitutio propter celeritatem dirimendarum litiũ introducta est, quam ad Cæsarienses advocatos scripsimus: per quam disposuimus, tales scripturas, quæ præsto esse partes indicant, omninò esse credendas, nisi is, qui talibus utitur improbis allegationibus, manifestissimis probationibus, vel per scripturam, vel per testes idoneos adprobaverit, toto eo die, quo conficiebatur instrumentum, sese vel adversarium suum in aliis locis fuisse.

12. ¶ Post mortem suam dari sibi nemo stipulari poterat: non magis quam post eius mortem, à quo stipulabatur. Ac nec is, qui in a-

in alicuius potestate est post mortem eius stipulari poterat: quia patris vel domini voce loqui videretur. Sed & si quis ita stipuletur, *Pridiè quàm moriar*, vel *pridiè quàm morieris dare spondes?* inutilis erat stipulatio. Sed cùm (ut jam dictum est) ex consensu contrahentium stipulationes valeant: placuit nobis etiam in hunc juris articulum necessariam inducere emendationem: ut sive post mortem, sive pridiè quàm moriatur stipulator, sive promissor, stipulatio concepta sit: stipulatio valeat.

13. ¶ Item si quis ita stipulatus erat: *Si navis ex Asia venit, hodie dare spondes?* inutilis erat stipulatio, quia præpostere concepta est. Sed quum Leo inclytæ recordationis, in dotibus eandem stipulationem, quæ præpostera nuncupatur, non esse rejiciendã, existimaverit. Nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, ut non solùm in dotibus, sed etiam in omnibus valeat huiusmodi conceptio stipulationis.

14. ¶ Ita autem stipulatio concepta, veluti si Titius dicat, *cùm moriar, dare spondes?* vel *cùm morieris*: & apud veteres utilis erat, & nunc valet. 15. ¶ Item post mortem alterius rectè stipulamur. 16. ¶ Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem: perin-

de habetur, atq; si interrogatione præcedente responsum sit. 17. ¶ Quotiens plures res unâ stipulatione comprehenduntur, si quidem promissor simpliciter respondeat, *dare spondeo*: propter omnes tenetur. Si verò una ex his vel quasdam daturum se sponderit: obligatio in iis, pro quibus sponderit, contrahitur. Ex pluribus enim stipulationibus una vel quædam videntur esse perfectæ. Singulas enim res stipulari, & ad singulas respondere debemus. 18. ¶ Alteri stipulari (ut suprà dictum est) nemo potest. Inventæ n. sunt huiusmodi [stipulationes vel] obligationes ad hoc ut unusquisq; adquirat sibi, quod sua interest, cæterùm si alii detur, nihil interest stipulatoris. Planè si quis velit hoc facere, pœnam stipulari conveniet, ut nisi ita factū sit, ut est comprehensum, committatur pœnæ stipulatio etiam ei, cuius nihil interest. Pœnam enim cùm stipulatur quis, non illud inspicitur, quod interfit eius, sed quæ sit quantitas in conditione stipulationis. Ergò quis [ita] stipuletur, *Titio dari*, nihil agit. Sed adjecerit pœnam, *nisi dederis tot aureos dare spondes?* tunc committitur stipulatio.

19. ¶ Sed [&] si quis stipuletur alii, cùm eius interesset, placuit stipulationem valere.

Nam

Nam si is, qui pupilli tutelam administrare cœperat, cesserit administratione contutori suo, & stipuletur rem pupilli salvam fore: Quoniam interest stipulatoris fieri, quod stipulatus est (cùm obligatus futurus sit pupillo, si malè res gesserit) tenet obligatio. Ergò etsi procuratori suo dari stipulatus sit: habebit vires stipulatio. Et si creditori suo [quis stipulatus sit]: quod sua interest: ne fortè vel pœna committatur, vel prædia distrahantur, quæ pignori data erant, valet stipulatio.

20. ¶ Versa vice, qui alium facturum promisit, videtur in ea esse causa, ut non teneatur, nisi pœnam ipse promiserit. 21. ¶ Item nemo rem suam futuram, in eum casum, quo sua sit, utiliter stipulatur. 22. ¶ Si de alia re stipulator senserit, de alia promissor: perinde nulla contrahitur obligatio, ac si ad interrogatum responsum non esset: veluti si hominem Stichum à te quis stipulatus fuerit, tu de Pamphilo senseris, quem Stichum vocari credideris.

23. ¶ Quod turpi ex causa promissum est: veluti, si quis homicidium vel sacrilegium se facturũ promittat: non valet. 24. ¶ Cùm quis sub aliqua conditione stipulatus fuerit:

licet

licet ante conditionem decesserit: postea existente conditione heres eius agere potest. Idem est & ex promissoris parte.

25. ¶ Qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus est: nisi omnibus partibus anni vel mensis preteritis, non rectè petet. Si fundum dari stipuleris, vel hominem: non poteris continuò agere: nisi tantum spacium præterierit, quo traditio fieri possit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XX. excerptæ.

1. *Omnis res, quæ dominio nostro subijcitur, in stipulationem deduci potest.* Princ. hîc.

2. *Res, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, in stipulationem deduci non potest.* §. At si quis. 1. hîc.

3. *Si res sacra aut religiosa in stipulationem sit deducta, inutilis est stipulatio.* §. Idem juris. 2. hîc.

4. *Si res publica in stipulationem deducta, inutilis est illa.* d. §. Idem. 2. hîc.

5. *Si liber homo in stipulationem deductus, inutilis est illa.* d. §. Idem. 2. hîc.

6. *Si rem suam dari quis stipuletur, inutilis est stipulatio.* d. §. Idem. 2. hîc.

7. In

7. *In stipulatione præsentia attenduntur* d. §. Idem. 2. hîc.

8. *Stipulatio initio vitiosa, postea non convalescit.* d. §. Idem. 2. hîc.

9. *Quæ naturâ sui dominio nostro exempta sunt in obligationem deduci nullo modo possunt.* d. §. Idem juris. 2. hîc.

10. *Stipulatio facti alieni est inutilis.* §. Si quis alium. 3. hîc.

11. *Stipulatio facti alieni cum proprio valet,* d. § Si quis alium. 3. hîc.

12. *Alteri nemo stipulari potest.* §. Si quis. 4. hîc. ex §. Alteri. 18.

13. *In stipulatione solutio in extraneam personam conferri potest.* dict. §. Si quis alii. 4. hîc.

14. *Si quis sibi & alii, cuius juri subjectus non est stipulatus est, ad partem tantùm valet stipulatio* d. §. Si quis alii. 4. hîc.

15. *Ei, qui juri tuo subjectus est si stipuleris, tibi acquiris.* d. §. Siquis. 4. hîc.

16. *Vox patris tanquam filii est, & filii vox tanquam patris intelligitur in iis rebus, quæ tibi acquiri possunt.* d. §. Siquis. 4. hîc.

17. *Si quis ad ea, quæ interrogatus est, non respondeat, inutilis est stipulatio* §. Præterea. 5. hîc. *Seu: Vbi responsio non congruit interrogationi, inutilis est stipulatio.* d. §. Præterea. 5. hîc.

18. *Si*

18. *Si quis purè stipuletur, alter sub conditione respondeat, inutilis est stipulatio.* d. §. Præterea. ſ. hîc.

19. *Non necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit.* d. §. Præterea. ſ. hîc.

20. *Si ab eo stipuleris, qui juri tuo subjectus est, inutilis est stipulatio.* §. Item. 6. hîc.

21. *Si â te stipuletur, qui juri tuo subjectus est, inutilis est stipulatio.* d. §. Item inutilis. 6. hîc.

22. *Servus nec domino, nec ulli alii obligari potest,* d. §. Item. 6. hîc.

23. *Filiifam. aliis obligari possunt.* d. §. Item. 6. hîc.

24. *Mutus neq; stipulare, neq; promittere potest.* §. Mutum. 7. hîc.

25. *Surdus non potest stipulari.* d. §. Mutum. 7, hîc.

26. *Qui stipulatur verba promittentis, & is qui promittit, verba stipulantis audire debet.* d. §. Mutum. 7. hîc.

27. *Furiosus nullum negocium gerere potest.* §. Furiosus. 8. hîc.

28. *Furiosus non intelligit, quod agit.* d. §. Furiosus. 8. hîc.

29. *Pupillus omne negocium rectè gerit, ita tamen*

men, ut ubi necessaria autoritas tutoris, adhibeatur tutor. 5. Pupillus. 9. hîc.

30. *Pupillus alium sibi obligare potest, etiam sine tutoris autoritate.* d. §. Pupillus. 9. hîc.

31. *Infans, & qui infantiæ proximus est, non multum à furioso distant.* §. Sed quod. 10. hîc.

32. *Infans & infantiæ proximus nullum habent intellectum.* d. §. Sed quod. 10. hîc.

33. *Proximi infantiæ propter utilitatem ex benigniore juris interpretatione sibi obligare possunt.* d. §. Sed quod. 10. hîc.

34. *Impubes, qui est in potestate parentis, ne auctore quidem patre obligatur.* d. § Sed quod. 10. hîc.

35. *Si impossibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio.* §. Si impossibilis. 11. hîc.

36. *Impossibilis conditio est, cui natura impedimento est, quò minus existat.* d. §. Si impossibilis. 11. hîc.

37. *Impossibilis conditio in non faciendo, non vetat stipulationem.* dict. §. Si impossibilis. 11. hîc.

38. *Verborum obligatio inter absentes concepta, inutilis est.* d. §. Si impossibilis. 11. hîc.

39. *Iura materiam litium contentiosis hominibus præbentia amovenda sunt,* d. Si impossibilis. 11. hîc.

40. Seri-

40. *Scripturis, quæ præsto esse partes indicant, credendum est*, d. Si impossibilis. 11. hîc.

41. *Stipulatio post mortem concepta hodie valet.* §. Post mortem. 12. hîc.

42. *Stipulatio pridie quàm moriar hodie valet.* d. §. Post mortem. 12. hîc.

43. *Stipulationes ex consensu contrahentium valent.* d. §. Post mortem. 12. hîc.

44. *Stipulatio quamvis præposterè, tamen hodiè etiam valet.* §. Item si quis. 13. hîc.

45. *Stipulatio, cùm moriar, utilis est*, §. Ita autem. 14. hîc.

46. *Post mortem alterius rectè stipulamur.* §. Item. 15. hîc.

47. *Verba posteriora includunt priora.* § Si scriptum. 16. hîc.

48. *In stipulatione pluribus cumulatis si simpliciter respondeatur, omnes debentur.* § Quoties. 17. hîc.

49. *In stipulatione pluribus propositis, si ad unum fiat responsio, obligatio in ea tantùm contrahitur.* d. § Quoties. 17. hîc.

50. *Ex pluribus stipulationibus una vel quædam videntur esse perfectæ.* §. Quoties. 17. hîc.

51. *Singulas res stipulari, & ad singulas respondere debemus.* d. §. Quoties. 17. hîc.

52. *Inventæ sunt stipulationes, ut unusquisq; acquirat sibi.* §. Alteri. 18. hîc.

53. Pœ-

53. Pœnam stipulari convenit. d. §. Alteri. 18. hîc.

54. Pœnam cùm quis stipulatur, non illud inspicitur, quod interſit ejus, ſed quæ ſit quantitas in conditione ſtipulationis. d. §. 18. hîc.

55. Si quis ſtipuletur alii, cùm eius intereſt, valet ſtipulatio, §. Sed &. 19. hîc.

56. Tutor cedens adminiſtratione contutori ſuo, obligatus futurus eſt pupillo, ſi malè res geſſerit. d. §. Sed &. 19. hîc.

57. Si quis procuratori ſuo ſtipulatus eſt, habet vires ſtipulatio. d. §. Sed &. 19. hîc.

58. Si quis creditori ſuo ſtipulatus eſt, valet ſtipulatio. d. §. Sed &. 19. hîc.

59. In ſtipulatione faciendi, etiamſi interſit, ſemper pœna eſt adjicienda. §. Verſa vice. 20. hîc.

60. Nemo rem ſuam futuram in eum caſum, quo ſua ſit, utiliter ſtipulatur. Item nemo. 21. hîc.

61. Diſſenſio in corpore vitiat ſtipulationem. §. Si de alia. 22. hîc.

62. Quod turpi ex cauſa promiſſum eſt, non valet. §. Quod turpi. 23. hîc.

63. Cùm quis ſub conditione ſtipulatus eſt, licet ante conditionem decedat, poſtea exiſtente conditione heres eius agere poteſt. §. Cùm quis. 24. hîc.

64. Promissum in diem non nisi die præterito peti potest. §. fin. hîc.

65. Stipulationi aliquod spacium inest. d. §. fin. hîc.

DE FIDEIUSsoribus.

Tit. XXI.

PRo eo qui promittit, solent alii obligari, qui fidejussores appellantur: quos homines accipere solent, dum curant, ut diligentius sibi cautum sit.

1. ¶ In omnibus autem obligationibus adsumi possunt; ideſt, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contractæ fuerint. At nec illud quidem interest, utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur fidejussor: adeò quidem, ut pro servo quoque obligetur, sive extraneus sit, qui fidejussorem à servo accipiat, sive ipse dominus in id, quod sibi naturaliter debetur. 2. ¶ Fidejussor non tantùm ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum. 3. ¶ Fidejussor & præcedere obligationem, & sequi potest. 4. ¶ Si plures sint fidejussores; quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Ita-

Itaque liberum est creditori, à quo velit solidum petere. Sed ex epistola D. Hadriani compellitur creditor à singulis, qui modò solvendo sunt litis contestatæ tempore, partes petere. Ideòq; si quis ex fidejussoribus eo tempore solvendo non sit: hoc cæteros onerat. Sed si ab uno fidejussore creditor totum consequutus fuerit: huius solius detrimentum erit, si is, pro quo fidejussit, solvendo non sit: & sibi imputare debet, cùm potuerit juvari ex epistola divi Hadriani, & desiderare, ut pro parte in se detur actio.

5. ¶ Fidejussores ita obligari non possunt, ut plus debeant, quàm debet is, pro quo obligatur. Nam eorũ obligatio, accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse, quàm in principali re. At ex diverso, ut minus debeant, obligari possunt. Itaq; si reus decem aureos promiserit: fidejussor in quinq; rectè obligatur: contrà verò obligari non potest. Item si ille purè promiserit: fidejussor sub conditione promittere potest: contrà verò non potest. Non solùm autẽ in quantitate, sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus est n. statim aliquid dare: minus est post tempus dare. 6. ¶ Si quid autẽ fidejussor pro reo solverit: eius recuperãdi causâ habet cũ eo mandati judiciũ.

7. ¶ Græcè etiam fidejussor ita accipitur τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγὼ, i. e. *meâ fide jubeo ego.* [Sed & si dixerit] θέλω, sive βούλομαι, i. *volo.* Sed φημὶ, id est, *affirmo*, pro eo erit, ac si dixerit λέγω, id est, *dico.*

7. ¶ In stipulationibus fidejussorum sciendum est, hoc generaliter accipi: ut quodcunque scriptum sit quasi actum, videatur etiam actum. Ideóque constat, si quis scripserit se fidejussisse: videri omnia solenniter acta.

REGULÆ JURIS ex Titul. XXI. excerptæ.

1. *Pro eo, qui promittit, fidejussor obligatur.* Princ. hîc.

2. *Propter securitatem creditoris est adinventa fidejussio.* Princ. hîc.

3. *In omnibus obligationibus assumi possunt fidejussores.* §. In omnibus. 1. hîc.

4. *Fidejussor obligationi tam naturali, quàm civili adjici potest.* d. §. In omnibus. 1 hîc.

5. *Fidejussor pro servo etiam obligatur.* d. §. In omnibus. 1. hîc.

6. *Fidejussor non tantùm ipse obligatur, sed etiam*

iam heredem relinquit obligatum. §. Fidejussor. 2. hîc.

7. Fidejussor potest præcedere obligationem. §. Fidejussor. 3. hîc.

8. Fidejussor potest sequi obligationem. d. §. Fidejussor. 3. hîc.

9. Si plures sint fidejussores, quotquot sunt, singuli in solidum tenentur. §. Si plures. 4. hîc.

10. Liberum est creditori, á quo velit solidum petere. d. §. Si plures. 4. hîc.

11. Contra electionem opponi potest beneficium divisionis. §. Si plures. 4. hîc.

12. Conventi debent esse idonei. d. §. Si plures. 4. hîc.

13. Conventus fidejussor, si negligat opponere exceptionem, condemnatus solidum solvere debet. d. § Si plures. 4. hîc.

14. Fidejussores obligari non possunt, ut plus debeant, quàm is debet, pro quo obligantur. §. Fidejussores. 5. hîc.

15. Fidejussorum obligatio accessio est principalis obligationis. d. §. Fidejussores. 5. hîc.

16. In accessione non potest esse plus, quàm in principali re. d. §. Fidejussores. 5. hîc.

17. Fidejussores in minus possunt obligari. d. §. Fidejussores. 5. hîc.

18. Non solùm in quantitate, sed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. d. § Fidejus. 5. hîc.

19. *Plus est statim aliquid dare, minus est post tempus dare.* d. §. Fidejussores. 5. hîc.

20. *Si quid fidejussor pro reo solverit, eius recuperandi caussá habet cum eo mandati judicium.* §. Si quid. 6. hîc.

21. *Fidejussio & Græcis fieri potest literis.* §. Græcè etiam. 7. hîc.

22. *Instrumento fidejussorio fides omninò habenda est.* §. fin. hîc.

DE LITERARUM OBligationibus.

TIT. XXII.

OLim scripturâ fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodiè non sunt in usu. Plane si quis debere se scripserit, quod sibi numeratum non est: de pecunia minimè numerata post multum temporis exceptionem opponere non potest. Hoc enim sæpissimè constitutum est. Sic fit, ut & hodiè, dum quæri non potest, scriptura obligetur: & ex ea nascatur condictio, cessante scilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus constitu-

stitutionibus usq; ad quinquennium procedebat. Sed ne creditores diutius possint suis pecuniis forsitan defraudari: per constitutionem nostram tempus coarctatum est, ut ultra biennii metas huiusmodi exceptio minimè extendatur.

REGULÆ JURIS ex Titul. XXII. excerptæ.

1. *Vetus literarum obligatio planè sublata est.* hîc.

2. *Exceptio non numeratæ pecuniæ rectè opponitur creditori, syngraphàm ostendenti.* hîc.

3. *Creditores justò diutiùs suis pecuniis non debent defraudari.* hîc.

4. *Exceptio non numeratæ pecuniæ ultrà biennium hodiè non extenditur.* hîc. in fin.

DE OBLIGATIONIBUS ex consensu.

Tit. XXIII.

COnsensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationi-

nibus, conductionibus, societatibus, mandatis. Ideò autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scripturâ, neque præsentiâ omnimodo opus est. At nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio: sed sufficit eos, qui negocia gerunt, consentire. Unde inter absentes quoq; talia negocia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuncium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet. [Cùm alioqui in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.]

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIII. excerptæ.

1. *Emptio-venditio fit consensu*, hîc.

2. *Locatio-conductio fit consensu*, hîc.

3. *Societas fit consensu*, hîc.

4. *Mandatum fit consensu*, hîc.

5. *Obligationes ex consensu nudo consensu contrahuntur*, hîc.

6. *In obligationibus ex consensu, neque scripturâ, neque præsentiâ omnimodo opus est*, hîc.

7. *In obligatione ex consensu dari quicquam non est necesse, ut substantiam illa capiat*, hîc.

8. In-

8. *Inter absentes & obligationes ex consensu contrahuntur*, hîc.

9. *In obligatione ex consensu alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet*, hîc.

DE EMPTIONE ET venditione.

TIT. XXIV.

EMptio & venditio contrahitur simulatque de pretio convenerit: quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emptionibus & venditionibus, quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet, nam nihil à nobis in huiusmodi emptionibus & venditionibus innovatum est, in iis autem, quæ scripturâ conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propriâ contrahentiũ, vel ab alio quidem scripta, à contrahentibus autem subscripta. Et si per tabellionem fiunt, nisi & comple-

tiones acceperint, & fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emtor vel venditor sine pœna recedere ab emptione [& venditione.] Ita tamen impunè [eis recedere] concedimus, nisi jam arrharum nomine aliquid fuerit datum. Hoc enim subsequuto: sive in scriptis, sive sine scriptis venditio celebrata est: is qui recusat adimplere contractum, si quidem est emptor: perdit quod dedit. Si verò venditor: duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum est. Pretium autem constitui oportet: Nam nulla emptio sine pretio esse potest.

1. ¶ Sed & certum esse pretium debet, alioquin si inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem æstimárit, tanti sit empta: inter veteres satis abundéque hoc dubitabatur, constarétne venditio, an non? Sed nostra decisio ita hoc constituit, ut quotiens sic composita sit venditio, *quanti ille æstimaverit*, sub hac conditione stare contractus: ut si quidem ille, qui nominatus est, pretium definierit: [tunc] omnimodo secundùm eius æstimationem & pretium persolvatur, & res tradatur, & venditio ad effectum perducatur: emptore quidem ex empto actione, venditore ex ven-

vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus est, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod jus, cùm in venditionibus nobis placuit: non est absurdum, & in locationibus, & in conductionibus trahere.

2. ¶ Item pretium in numerata pecunia consistere debet. Nam in cæteris rebus, an pretium esse posset, valdè quærebatur, veluti an homo, aut fundus, aut toga alterius rei pretium esse posset. [Et] Sabinus & Cassius etiam in alia re putabant, pretium posse consistere, unde illud est, quod vulgò dicebatur, permutatione rerum emptionem & venditionem contrahi, eámq; speciem emptionis & venditionis vetustissimam esse, argumentóque utebantur Græco poëtâ Homero, qui aliquam partem exercitus Achivorum vinum sibi comparasse ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis:

Ἔνθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο κάρηκομόωντες ἀχαιοὶ
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ᾽ αἴθωνι σιδήρῳ
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ᾽ αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ᾽ ἀνδραπόδεσσι.

Id est:

Hinc

Hinc sibi certatim gentis de more comati
Vina parant Graii ære dato: fulgenteq; ferro,
Tergoribusq;, bubus sed & ipsis, mancipiisq;.

Diversæ scholæ auctores contrâ sentiebant: aliúdque esse existimabant permutationem rerum, aliud emptionem & venditionem: alioqui non posse rem expediri permutatis rebus, quæ videatur res venisse, & quæ pretii nomine data esse. Nam utramque videri & venisse, & pretii nomine datam esse rationem non pati. Sed Proculi sententia, dicentis permutationem propriam esse speciem contractus à venditione separatam, merito prævaluit: cum & ipse aliis Homericis versibus adjuvabatur, & validioribus rationibus argumentabatur: quod & anteriores D. Principes admiserunt, & in nostris digestis latiùs significatur.

3. ¶ Quum autem emptio & venditio contracta sit (quod effici diximus, simulatq; de pretio convenerit, cùm sine scriptura res agitur) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit, vel aliquâ parte corporis læsus fuerit, aut ædes totæ vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint: aut fundus vi fluminis totus, vel aliqua ex parte ablatus fuerit, sive etiam

iam inundatione aquæ aut arboribus turbine dejectis longè minor aut deterior esse cœperit, emporis damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretiũ solvere. Quicquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed & si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit: ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum eius esse debet, cuius periculum est. Quod si fugerit homo, qui venit, aut subrectus fuerit, ita ut neque dolus, neque culpa venditoris intervenerit: animadvertendũ erit, an custodiam eius usq; ad traditionem venditor susceperit. Sanè enim si susceperit: ad ipsius periculum, is casus pertinet. Si non susceperit, securus est. Idem & in cæteris animalibus, cœterísque rebus intelligimus. Utiq; tamen vindicationem rei & condictionem exhibere debebit emptori: quia sanè, qui nondum rem emtori tradidit, adhuc ipse dominus est. Idem etiam de furti & de damni injuriæ actione.

4. ¶ Emptio tam sub conditione, quàm purè contrahi potest. Sub conditione, veluti, *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot.*

5. Loca sacra vel religiosa, item publica, (veluti forum, basilicam) frustra quis sciens emit.

emit. Quæ tamen, si pro profanis vel privatis deceptus à venditore quis emerit: habebit actionem ex emto, quod non habere ei liceat, ut consequatur, quod sua interest, eum deceptum non esse. Idem juris est, si hominem liberum pro servo emerit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIV. excerptæ.

1. *Emptio-venditio contrahitur simulatq; de precio convenerit.* Princ. hîc.

2. *In Emptione-venditione precium non statim necessariò numerandum est.* dict. Princip. hîc.

3. *Quod arrhæ nomine datur, argumentum est Emptionis-Venditionis contractæ.* d. princip. hîc.

4. *Emptiones-venditiones, quæ scripturâ conficiuntur, non aliter perfectæ sunt, nisi instrumenta emptionis fuerint conscripta & subscripta.* Prin. hîc.

5. *Emptioni venditioni dum requisita desunt, pœnitentiæ locus est.* pr. hîc.

6. *Ac proinde à contractu vel emptor vel venditor sine pœna recedere potest.* d. princ. hîc. *Nisi aliquid arrharum nomine fuerit datum.*

7. *Pre-*

7. *Precium in emptione-venditione constitui oportet.* d.pr.in fin.h.c.

8. *Nulla emptio sine precio esse potest.* d.prin.in fin.hîc.

9. *Pretium debet esse certum.* §.Sed &.1. hic.

10. *Pretium in alterius arbitrium collatum, cùm ab ipso nominatum fuerit, subsistit contractus.* d.§.Sed &.1. h.c. *Et hoc valet in conduct. locationibus.*

11. *Pretium in numerata pecunia consistere debet.* §.Item.2.h.c.

12. *In cæteris rebus præter pecuniam non est pretium.* §.Item pretium.2. h.c.

13. *Autoritati autoritas rectè opponitur.* d.§.Item pretium.2. hic.

14. *Aliud est permutatio, aliud emptio-venditio.* d.§.Item pretium.2. h.c.

15. *Sententia firmioribus subnixa rationibus meritò alii præfertur.* d.§.Item.2.h.c.

16. *Emptione-venditione contractâ periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet.* §. Cùm autem.3.h.c.

17. *Sæpè, etiamsi rem non sit nactus emptor, pretium tamen solvere cogitur.* d.§.Cùm autem.3.h.c.

18. *Quic-*

18. *Quicquid sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est.* d. §. Cùm autem. 3. hîc.

19. *Ad emptorem & commodum rei venditæ pertinet.* d. §. Cùm autem. 3. hîc.

20. *Commodum eius esse debet, cuius periculum est.* d. §. Cùm autem. 3. hîc.

21. *Si rei venditæ custodiam ante traditionem promisit venditor, utiq; tenetur.* d. §. Cùm autem. 3. hîc.

22. *Venditor vindicationem rei & condictionem exhibere debet emptori.* d. §. Cùm autem. 3. hîc.

23. *Qui rem nondum tradidit, utique dominus est.* dict. §. Cùm autem emptio. 3. in fin. hîc.

24. *Emptio tam sub conditione, quàm purè contrahi potest.* §. Emptio. 4. hîc.

25. *Loca sacra & religiosa frustrà quis sciens emit.* §. Loca, 5. hîc.

26. *Loca publica frustrà quis sciens emit.* d, §. Loca. 5. hîc.

27. *Emptori interest eum deceptum non esse.* d, Loca. 5. hîc.

28. *Liber homo non potest emi à sciente.* d. §. Loca. 5 hîc.

DE

DE LOCATIONE ET conductione.

TIT. XXV.

LOcatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdémque juris regulis consistit. Nam ut emptio & venditio ita contrahitur, si de pretio convenerit: sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit, & competit locatori quidem locati actio, conductori verò conducti.

1. ¶ Et quæ suprà diximus, si alieno arbitrio pretium promissum fuerit: eadem de locatione & conductione dicta esse intelligimus, si alieno arbitrio merces permissa fuerit. Qua de causa si fulloni polienda curandáve, ac sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nullâ statim mercede constitutâ, sed postea tantum daturus, quantum inter eos convenerit: non propriè locatio & conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis verbis datur. 2. ¶ Præterea sicut vulgò quærebatur, an permutatis rebus emptio & venditio contraheretur: ita quæri solebat de locatione & conductione, si

fortè rem aliquam utendam sive fruendam tibi aliquis dederit: & invicem à te utendam sive fruendam aliam [rem] acceperit. Et placuit non esse locationem & conductionem, sed proprium genus contractus. Veluti si cùm unum bovem quis haberet, & vicinus eius unum, placuerit inter eos, ut per denos dies invicem boves commodarent, ut opus facerent, & apud alterum [alterius] bos perierit: neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio: quia non fuit commodatum gratuitum. Verùm præscriptis verbis agendum est.

3. ¶ Adeò autem aliquam familiaritatem inter se videntur habere emptio & venditio, item locatio & conductio: ut in quibusdam causis quæri soleat, utrum emptio & venditio contrahatur, an locatio & conductio. Ut ecce de prædiis, quæ perpetuò quibusdam fruenda traduntur, id est, ut quamdiu pensio sive reditus pro his domino præstetur, neque ipsi conductori, neque heredi eius cuive conductor heresve eius id prædium vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, alióve quocúq; modo alienaverit, auferre liceat. Sed talis contractus, quia inter veteres dubitabatur, & à quibusdam locatio, à quibusdam venditio existimabatur: lex Zenoniana lata est,

est, quæ emphyteuseos contractus propriam statuit naturam, neque ad locationem, neque ad venditionem reclinantem, sed suis pactionibus fulciendam: & siquidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere, ac si naturalis esset contractus, sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum: tunc siquidem totius rei interitus accesserit: ad dominum super hoc redundare periculum. Sin autem particularis: ad emphyteuticarium huiusmodi damnum venire, quo jure utimur.

4. ¶ Item quæritur, si cum aurifice Titius convenerit, ut is ex auro suo certi ponderis certæq; formæ anulos ei faceret, & acciperet (verbi gratiâ) decem aureos: utrum emptio & venditio, an locatio & conductio contrahi videatur? Cassius ait, materiæ quidem emptionem & venditionem contrahi, operæ autem locationem & conductionem. Sed placuit tantùm emptionem & venditionem contrahi. Quòd si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta: dubium non est, quin locatio & conductio sit.

5. ¶ Conductor [autem] omnia secundum legem conductionis facere debet: & si quid in lege prætermissum fuerit: id ex bono & æquo præstare. Qui pro usu aut vestimentorum, aut argenti, aut jumenti, mercedem

aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet. Quam si præstiterit, & aliquo casu [fortuito eam] rem amiserit: de restituenda ea non tenebitur.

6. ¶ Mortuo conductore intra tempora conductionis, heres eius eodem jure in conductione succedit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXV. excerptæ.

1. *Locatio & conductio iisdem, quibus Emptio-venditio consistit juris regulis.* Princ. hîc.

2. *Locatio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit.* Princ hîc.

3. *Mercede constitutâ competit locatori locati actio, conductori conducti.* d. pr. hîc.

4. *Si alieno arbitrio merces constituta fuerit, cùm definita, valet locatio-conductio.* §. Et quæ supra. 1. hîc.

5. *Commodatum gratuitum est.* §. Præterea. 2. hîc.

6. *Tanta est similitudo emptionis-venditionis, & locationis-conductionis, ut quandoq; difficulter internosci possint.* §. Adeò autem. 3. hîc.

7. *Emphyteusis propriam, & à locatione-con-*

condu-

ductione distinctam habet naturam. §. Adeò autem. 3. hîc.

8. *Si de rei in Emphyteusin datæ periculo pactum est, servatur illud.* §. Adeò autem. 3. hîc.

9. *In Emphyteusi si totius rei interitus accesserit, ad dominum redundat periculum.* d. §. Adeò autem. 3. hîc.

10. *In Emphyteusi si particularis est rei interitus, pertinet ad Emphyteuticarium.* d. §. Adeò autem. 3. hîc.

11. *Vnus contractus diverso jure non debet censeri.* §. Item quæritur. 4. hîc.

12. *Pretio constituto, si opifex materiam & operam præstat, emptio erit.* d. §. Item quæritur. 4. hîc.

13. *Conductor omnia secundùm conductionis legem facere debet.* §. Conductor [autem.] 5. hîc.

14. *Si quid in lege conditionis prætermissum, id ex bono & æquo conductor præstare debet.* §. Conductor. 5. hîc.

15. *In locatione-conductione præstanda est custodia diligentissimi patrisfam* d. § Conductor. 5. hîc.

16. *In Locatione-conductione casus fortuitus non præstatur.* d. §. Conductor. 5. hîc.

17. *Mortuo conductore intra tempora conductio-*

ctionis heres eius eodem jure in conductione succedit §. Mortuo. 6. hic.

DE SOCIETATE.

Tit. XXVI.

SOcietatem coire solemus aut totorum bonorum, quam Græci specialiter κοινωνίαν appellant: aut unius alicuius negociationis, veluti mancipiorũ vendendorum emendorúmq; aut olei, aut vini, aut frumenti emendi vendendíque.

1. ¶ Et quidem, si nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit: æquales scilicet partes, & in lucro & in damno spectantur. Quod si expressæ fuerint [partes:] hæ servari debent. Nec enim unquam dubium fuit, quin valeat conventio, si duo inter se pacti sint, ut ad unum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alium tertia.

2. ¶ De illa sanè conventione quæsitum est, si Titius & Sejus inter se pacti sint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad Sejum duæ partes damni, lucri tertia: an rati debeat haberi conventio? Quintus Mutius! contra naturam societatis talem pactionem esse existimavit, & ob id non esse

esse ratâ habendam, Servius Sulpitius (cuius sententia prævaluit) contrà sensit: quia sæpè quorundam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam & ita coiri posse societatem, non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit, quia sæpè opera alicuius pro pecunia valet. Et adeò contra Quinti Mutii sententiam obtinuit, ut illud quoq; constiterit posse convenire, ut quis lucri partè ferat, de damno non teneatur, quod & ipsum Servius convenienter [sibi] fieri existimavit. Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit: compensatione factâ, solùm, quod supereſt, intelligatur lucro esse.

3. ¶ Illud expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro vel in solo damno, in altera verò omissa: in eo quoque quod prætermissum est, eandem partem servari. 4. ¶ Manet autem societas eò usque, donec in eodem consensu perseveraverint. At cùm aliquis renunciaverit societati, solvitur societas. Sed planè, si quis callide in hoc renunciârit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat, veluti si totorum bonorum socius, cùm ab aliquo heres

esset relictus, in hoc renunciaverit societati: ut hereditatem solus lucrifaceret: cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò aliud lucrifaciat, quod non captaverit: ad ipsum solum pertinet. Ei vero, cui renunciatum est, quicquid omninò post renunciatam societatem adquiritur, soli conceditur.

5. ¶ Solvitur adhuc societas etiam morte socii: quia, qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit. Sed & si consensu plurium societas contracta sit: morte unius socii solvitur, etsi plures superstint, nisi in coeunda societate aliter convenerit. 6. ¶ Item si alicuius rei contracta societas sit, & finis negocio impositus est: finitur societas.

7. ¶ Publicatione quoque distrahi societatem, manifestum est: scilicet si universa bona socii publicentur. Nam cùm in eius locum alius succedat, pro mortuo habetur. 8. ¶ Item si quis ex sociis mole debiti prægravatus, bonis suis cesserit, & ideò propter publica aut privata debita substantia eius veneat, solvitur societas: sed hoc casu, si adhuc consentiat in societatem, nova videtur incipere societas.

9. ¶ Socius socio vtrùm eo nomine tantùm teneatur pro socio actione, si quid dolo commiserit, sicut is, qui deponi apud se passus

sus est: an etiam culpæ, id est, desidiæ atque negligentiæ nomine, quæsitum est. Prævaluit tamen etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere [socium,] qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit: de se queri, sibique hoc imputare debet.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXVI. excerptæ.

1. *Societas tam totorum bonorum, quàm unius alicuius negociationis iniri potest.* Princ. hîc.

2. *Si de partibus lucri & damni nihil conventum, æquales partes in lucro & in damno spectantur.* §. Et quidem. 1. hîc.

3. *Si expressæ fuerint, partes servari debent.* §. Et quidem. 1. hîc.

4. *Conventio meritò observatur.* d. §. Et quidem. 1. hîc.

5. *Sæpè ita preciosa est operain societate, ut eos justum sit conditione meliori in societatem admitti.* §. de illa. 2. hîc.

6. *In societate alter pecuniam, alter operam conferre potest.* d. §. De illa. 2. hîc.

7. *Sæpè opera pro pecunia valet.* d. § De illa. 2. hîc.

8. *Solùm quod superest, intelligitur esse lucro.* §. De illa. 2. hîc.

9. *Si de lucro pactum est, de damno non pactum eadem utrobiq; ratio servatur.* §. Illud expeditum est. 3. hîc.

10. *Manet societas eousq;, donec in eodem consensu perseveraverint.* §. Manet. 4. hîc.

11. *Cùm aliquis renunciaverit societati, solvitur illa.* d. §. Manet. 4. hîc.

12. *Callidè renuncians societati, ut lucrum captet, cogitur lucrum communicare.* d. §. Manet. 4. hîc.

13. *Cui renunciatum est, quicquid post renunciatam societatem acquiritur, soli conceditur.* d. §. Manet. 4.

14. *Solvitur societas morte socii.* §. Solvitur. 5. hîc.

15. *Qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit.* d. §. Solvitur. 1. hîc.

16. *Uno mortuo tota societas dissolvitur.* d. §. Solvitur. 5. hîc.

17. *Si alicuius rei contracta sit societas, & finis negocio impositus, finitur societas.* §. Item. 6. hîc.

18. *Publi-*

18. *Publicatione bonorum distrahitur societas.* §. Publicatione. 7. hîc.

19. *Cum in publicatione alius in locum succedat, ille pro mortuo habetur.* §. Publicatione. 7. hîc.

20. *Cessione bonorum solvitur etiam societas.* §. Item si quis. 8. hîc.

21. *Socius socio non tantùm ob dolum, sed & ob culpam tenetur.* §. Socius. 9. hîc.

22. *Sufficit socium talem adhibere diligentiam rebus communibus, qualem suis adhibere solet.* d. §. Socius. 9. hîc.

23. *Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibiq; hoc imputare debet.* d. §. Socius. 9. hîc.

DE MANDATO.

TIT. XXVII.

MAndatum contrahitur quinque modis: sive suâ tantùm gratiâ aliquis tibi mandet, sive sua & tua, sive aliena tantùm, sive sua & aliena, sive tua & aliena. At si tua tantùm gratiâ mandatum sit: supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur.

1. ¶ Man-

1. ¶ Mandantis [tantùm] gratia intervenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, ut negocia eius gereres, vel ut fundum emeres, vel ut pro eo sponderes. 2. ¶ Tuâ gratiâ & mandantis: veluti si mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur, aut si volente te agere cum eo ex fidejussoria causa, mandet tibi, ut cum reo agas, periculo mandantis: vel ut ipsius periculo stipuleris, ab eo, quem tibi delegit in id, quod tibi debuerat.

3. ¶ Aliena autem [tantùm] causa intervenit mandatum, veluti si tibi aliquis mandet, ut Titii negocia gereres, vel ut Titio fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes. 4. ¶ Sua & aliena: veluti si de communibus suis, & Titii negociis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emeres, vel ut pro eo & Titio sponderes.

5. ¶ Tua & aliena: veluti si tibi mandet, ut Titio sub usuris crederes: quia si sine usuris pecuniam crederes, aliena tantùm gratia intercedit mandatum.

6. ¶ Tua tantùm gratia intervenit mandatum: velut si tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones potius prædiorum colloces, quàm fœneres: vel ex diverso, ut pecunias tuas fœneres, potiùs, quàm in emptione prædio-

diorum colloces. Cuius generis mandatum, magis consilium, quàm mandatum est, & ob id non est obligatorium: quia nemo ex consilio mandati obligatur, etiamsi non expediat ei, cui mandabatur, cùm liberum cuique sit, apud se explorare, an sibi expediat consilium. Itaque si ociosam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, ut rem aliquam emeres, vel eam crederes; quamvis non expediat eam tibi emisse, vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeò hæc ita sunt, ut quæsitum sit, an mandati teneatur, qui mandavit tibi, ut pecuniam Titio fœnerares? Sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum: quia non aliter Titio credidisses, quàm si tibi mandatum esset.

7. ¶ Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est: veluti si Titius de furto: aut [de] damno faciendo, aut de injuria facienda mandet tibi. Licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen ullam habes adversus Titium actionem. 8. ¶ Is, qui exsequitur mandatum, non debet excedere fines mandati, ut ecce, si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi, ut fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes; neq; pluris emere debes,

bes, neque in ampliorem pecuniam fidejubere. Alioqui non habebis cum eo mandati actionem. Adeò quidem, ut Sabino & Cassio placuerit, etiamsi usque ad centum aureos cum eo agere volueris: inutiliter te acturum. [Sed] diversæ scholæ auctores rectè usque ad centum aureos te acturum existimant, quæ sententia sanè benignior est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: Quoniam qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris (si possit) emeretur.

9. ¶ Rectè quoque mandatum contractum, si dum adhuc integra res sit, revocatum fuerit, evanescit.

10. ¶ Item si adhuc integro mandato, mors alterutrius interveniat, id est, vel eius, qui mandaverit, vel illius, qui mandatum susceperit: solvitur mandatum. Sed utilitatis caussâ receptum est: si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum: posse te agere mandati actione, alioqui justa & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic simile est, quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titii, per ignorantiam liberto solverint, liberari eos, cùm alioqui stricta juris

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0434
DFG

ris ratione non possent liberari, quia alii solvissent, quàm cui solvere debuerint.

11. ¶ Mandatum non suscipere, cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut quamprimùm renunciandum, ut per semetipsum, aut per alium eandem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuncietur, ut integra causa mandatori reservetur eandem rem explicandi: nihilominus mandati actio locum habet: nisi justa causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestivè renunciandi.

12. ¶ Mandatum & in diem differri, & sub conditione fieri potest. 13. ¶ In summa, sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit in aliam formam negocii cadere. Nam mercede constitutâ, incipit locatio & conductio esse. Et (ut generaliter dicamus) quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandati sive depositi contrahitur negocium: iis casibus interveniente mercede locatio & conductio intelliguur contrahi. Et ideò si fulloni polienda curandáve quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nullâ mercede constitutâ neque promissâ: mandati competit actio.

RE-

REGULÆ JURIS ex Tit. XXVII. excerptæ.

1. *Suâ tantùm gratiâ quod fit mandatum supervacuum est.* Princ. hîc.

2. *Consilium non est obligatorium.* §. Tua tantùm. 6. hîc. *Seu: Nemo ex consilio mandati obligatur.* d. §. Tua tantùm. 6 hîc.

3. *Quod contra bonos mores est, non est obligatorium mandatum.* §. Illud quoq;. 7. hîc.

4. *Is, qui exsequitur mandatum, non debet excedere fines mandati.* §. Is, qui exsequitur. 8. hîc.

5. *Qui majus concessit, & minus concessisse præsumitur.* §. Is qui. 8. hîc.

6. *Mandatum, licet rectè contractum, res si sit integra, si revocetur, evanescit.* §. Rectè quoq;. 9. hîc.

7. *Morte alterius solvitur mandatum.* §. Item si. 10. hîc.

8. *Ignorans mandatorem decessisse, & mandatum exequens, actione mandati potest agere.* d. §. Item. si. 10. hîc.

9. *Iusta & probabilis ignorantia non debet damnum adferre.* d. §. Item si. 10. hîc.

10. *Debitor solvens dispensatori, quem ignorabat,*

bat, manumissum esse, liberatur. d. §. Item si. 10. hîc.

11. *Mandatum suscipere cuilibet liberum est.* §. mandatum. 11. hîc.

12. *Mandatum susceptum consummandum est, aut quamprimum renunciandum.* §. Mandatum, 11. hîc.

13. *Mandatum in diem differri potest.* §. Mandatum. 12. hîc.

14. *Mandatum sub conditione fieri potest.* d. § Mandatum. 12. hîc.

15. *Mandatum debet esse gratuitum.* §. In summa. 13. hîc.

16. *Quibus casibus sine mercede suscepto officio mandati sive depositi contrahitur negocium: iis casibus interveniente mercede locatio-conductio contrahi intelligitur.* d. §. In summa. 13. hîc.

DE OBLIGATIONIbus, [quæ] quasi ex contractu nascuntur

TIT. XXVIII.

POst genera cõtractuum enumerata dispiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non propriè nasci ex con-

tractu intelliguntur, sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

1. ¶ Igitur cùm quis negocia absentis gesserit: ultrò citrò; inter eos nascuntur actiones, quæ appellantur negociorum gestorum, sed domino quidem rei gestæ adversus eum, qui gessit, directa competit actio: negociorum autem gestori, contraria, quas ex nullo contractu propriè nasci, manifestū est: quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negociis gerendis se obtulerit. Ex qua causa ii, quorum negocia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque utilitatis caussâ receptum est: ne absentium, qui subitâ festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregrè profecti essent desererentur negocia: Quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullâ habiturus esset actionem. Sicut autem is, qui utiliter gessit negocia, dominum habet obligatum negociorum gestorum: ita & contrà iste quoque tenetur, ut administrationis reddat rationem. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem: nec sufficit talem diligentiâ adhibere qualem suis rebus adhibere solet: si modò alius diligen-

gentior [eo] commodius administraturus esset negocia.

2. ¶ Tutores quoque, qui tutelæ judicio tenentur, non propriè ex contractu obligati [esse] intelliguntur (nullum enim negocium inter tutorem & pupillum contrahitur) sed quia sanè non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Hoc autem casu mutuæ sunt actiones. Non tantùm enim pupillus cum tutore habet tutelæ actionem: sed & contrà tutor cum pupillo habet contrarium tutelæ, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus eius obligaverit.

3. ¶ Item si inter aliquos communis res sit sine societate: veluti quod pariter eis legata donatàve esset: & alter eorum alteri ideò teneatur communi dividundo judicio, quòd solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius eius solus in eam rem necessarias impensas fecerit: non intelligitur ex contractu propriè obligatus esse: quippe nihil inter se contraxerunt. Sed quia ex maleficio non tenetur: quasi ex contractu teneri videtur.

4. ¶ Idem juris est de eo, qui coheredi familiæ erciscundæ judicio ex his causis obligatus est.

5. §. Heres quoque legatorum nomine non proprié ex contractu obligatus intelligitur: (neque enim cum herede, neque cum defuncto ullum negocium legatarius gessisse propriè dici potest) & tamen quia ex maleficio non est obligatus; quasi ex contractu debere intelligitur.

6. Item is, cui quis per errorem non debitum solvit, [quasi ex contractu debere videtur.] Adeò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus [esse,] ut si certiorem rationẽ sequamur: magis (ut suprà diximus) ex distractu, quàm ex contractu possit dici obligatus esse. Nam qui solvendi animo pecuniam dat: in hoc dare videtur, ut distrahat potius negocium, quàm contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac si mutuum ei daretur. Et ideò condictione tenetur.

7. ¶ Ex quibusdam tamen causis repeti non potest, quod per errorem non debitum solutum sit. Sic namque definierunt veteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex iis causis non debitum solutum repeti non posse: veluti ex lege Aquilia, itẽ ex legato. Quod veteres quidem in iis legatis locum habere voluerunt. Quæ certa constituta per damnationem cuique legata fuerant. Nostra autem con-

constitutio, cùm unam naturam omnibus legatis & fideicommissis indulsit, huiusmodi augmentum in omnibus legatis & fideicommissis extendi voluit: sed non omnibus legatariis hoc præbuit, sed tantummodo in iis legatis & fideicommissis, quæ sacrosanctis Ecclesiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis vel pietatis intuitu honorantur, relicta sunt: quæ si indebita solvantur, non repetuntur.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXVIII. excerptæ.

1. *Ex quasi contractu etiam oriuntur obligationes.* princ. hîc.

2. *Domino rei gestæ adversus eum qui gessit directa competit actio* §. Igitur. 1. hîc.

3. *Domino negociorum gestorum contraria competit actio.* d. §. Igitur. 1. h. c.

4. *Directa & contraria actio ex nullo contractu proprie nascuntur.* d. §. Igitur. 1. h. c.

5. *Quorum negocia gesta fuerint, illi etiam ignorantes obligantur.* §. Igitur. 1. h. c.

6. *Absentium negocia non debent facilè deseri.* d. §. Igitur. 1. hîc.

7. *Qui utiliter gessit negocia, dominum habet*

obligatum negociorum gestorum. d. §. Igitur. 1. hîc.

8. *Qui negocia gessit, domino administrationis debet reddere rationem.* dict. §. Igitur. 1. hîc.

9. *Negociorum gestorum ad exactissimam diligentiam cogitur reddere rationem.* d. § Igitur. 1. hîc.

10. *Tutores ex quasi contractu tenentur.* §. Tutores. 2. hîc.

11. *Nullum negocium inter tutorem & pupillum contrahitur.* d. §. Tutores. 2. hîc.

12. *Pupillus cum tutore tutelæ habet actionem.* d. §. Tutores. 2. hîc.

13. *Tutor cum pupillo tutelæ habet actionem.* d. §. Tutores. 2. hîc.

14. *Communio fortuita ex quasi contractu obligat.* §. Item si. 3 hîc.

15. *Coheredes inter se ex quasi contractu obligantur.* §. Idem juris. 4. hîc.

16. *Heres adeundo hereditatem quasi contrahere videtur.* §. Heres. 5. hîc.

17. *Is, cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur.* §. Item is. 2. hîc.

18. *Qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negocium, quàm contrahat.* d. §. Item. is. 6. hîc.

19. Ex

19. *Ex quibus casibus infitiando lis crescit, ex iis causis non debitum solutum repeti non potest.* §. Ex quibusdam. 7. hîc.

20. *Legata religionis vel pietatis intuitu data, si indebita solvantur, non repetuntur.* d. §. Ex quibusdam. 7. hîc.

PER QVAS PERSONAS nobis obligatio adquiritur.

TIT. XXIX.

Expositis generibus obligationum, quæ ex contractu vel quasi ex contractu nascuntur: admonendi sumus adquiri nobis non solum per nosmetipsos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per servos & filios nostros: ut tamen, quod per servos [nostros] nobis adquiritur, totum nostrum fiat: Quod autem per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit adquisitum, hoc dividatur secundum imaginem rerum proprietatis & usus, fructus, quam nostra decrevit constitutio: ut quod ab actione commodum perveniat, huius usumfructū quidem habeat pater,

proprietas autem filio servetur, scilicet patre actionem movente secundùm novellæ nostræ constitutionis divisionem.

1. ¶ Item per liberos homines, & alienos servos, quos bonâ fide possidemus, adquiritur nobis: sed tantùm ex duabus causis, id est, si quid ex operis suis, vel ex re nostra adquirant. 2. ¶ Per eum quoque servum, in quo usumfructum [vel usum habemus], similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur.

3. ¶ Communem servum pro dominica parte dominis adquirere, certum est: excepto eo, quod nominatim uni stipulando: aut per traditionem accipiendo, illi soli adquirit: veluti cùm ita stipulatur, *Titio domino meo dare spondes?* Sed si domini unius jussu servus fuerit stipulatus, licet antea dubitabatur, tamen post nostram decisionem res expedita est, ut illi tantùm adquirat, qui hoc ei facere jussit, ut suprà dictum est.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXIX. excerptæ.

1. *Acquiritur nobis non tantùm per nosmetipsos, sed etiam per eas personas, quæ in nostra potestate sunt.* Princ. hic.

2. *Quod*

2. *Quod per servos nobis adquiritur, totum nostrum fit.* Princ. hîc.

3. *A liberis usus fructus patri acquiritur.* d. pr. hîc.

4. *Per liberos homines, quos bonâ fide possidemus, & nobis acquiritur.* Item. 1. hîc.

5. *Per alienos servos, quos bonâ fide possidemus, nobis etiam acquiritur.* d. §. Item. 1. hîc.

6. *Per eum quoque servum, in quo usumfructum aut usum habemus, nobis acquiritur.* §. Per eum quoque. 2. hîc.

7. *Communis servus pro dominica parte dominis acquirit.* §. Communem. 3. hîc.

8. *Communis servus uni stipulando, illi soli acquirit.* §. Communem. 3. h. c.

QVIBUS MODIS TOLlitur obligatio.

TIT. XXX.

TOllitur autem omnis obligatio solutione eius, quod debetur, vel si quis consentiente creditore, aliud pro alio solverit. Nec interest, quis solvat, utrum ipse, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente: sive sciente, sive ignorante debitore

vel invito [eo] solutio fiat: Item si reus solverit, etiam ii, qui pro eo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fidejussor solverit, non enim ipse solus liberatur, sed etiam reus. 1. ¶ Item per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio, imaginaria solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, ut patiatur hæc verba debitorem dicere: *Quod ego tibi promisi, habésne acceptum?* Titius respondeat, *habeo.* Sed & Græcè potest acceptilatio fieri, dūmodo sic fiat, ut Latinis verbis solet [exigi:] ἔχεις λαβὼν ὀηναρία τόσα? ἔχω λαβών. *Id est tot denarios acceptos habes? Acceptos habeo.* Quo genere (ut diximus) tantùm eæ solvuntur obligationes, quæ ex verbis consistunt, non etiam cæteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem, aliis posse verbis dissolvi. Sed & id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolvi. Sicut autem, quod debetur, pro parte rectè solvitur: ita in parte debiti acceptilatio fieri potest. 2. ¶ Est [autem] prodita stipulatio, quæ vulgò Aquiliana appellatur, per quam contingit, ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tol-

tollatur. Stipulatio enim Aquiliana renovat omnes obligationes, & à Gallo Aquilio ita composita est: *Quicquid te mihi ex quacunque causa dare facere oportet, oportebitve, præsens in diémve: quarumcunque rerum mihi tecum actio est, quæque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritve: quod votum meum habes, tenes, possides, [dolóve malo feciſti, quo minus possideas:] quanti quæq; earũ rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius], spopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio spopondit, id haberétne à se acceptum Numerius Nigidius, Aulum Agerium rogavit. Aulus Augerius Numerio Nigidio acceptum fecit.*

3. ¶ Præterea novatione tollitur obligatio: veluti si id, quod tibi Sejus debebat, à Titio dari stipulatus sis. Nam interventu novæ personæ nova nascitur obligatio, & prima tollitur translata in posteriorem: adeò, ut interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti si id, quod tu Titio debes, à pupillo sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit, quo casu res amittitur, nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. Non idem juris est, si à servo quis fuerit stipulatus. Nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset. Sed si ea-

eadem persona sit, â qua postea stipuleris: ita demùm novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit: fortè si conditio, aut dies, aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adjiciatur, novationem fieri: sic intelligi oportet, ut ita dicamus factam novationem, si conditio extiterit: alioqui si defecerit, durat prior obligatio. Sed cùm hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri novationem, cùm novandi animo in secundâ obligationem itum fuerat: Per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc præsumptiones alii in aliis casibus introducebant: Ideò nostra processit constitutio, quæ apertissimè definivit, tunc solùm novationem prioris obligationis fieri, quotiens hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter novationem prioris obligationis convenerunt, alioqui & manere pristinam obligationem, & secundam ei accedere, ut maneat ex utraque causa obligatio secundùm nostræ constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertiùs cognoscere. 4. ¶ Hoc amplius, eæ obligationes, quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur. Nam si Titius & Sejus inter se consenserint, ut fundum Tuscula-

sculanum emptum Sejus haberet centum aureis: deinde re nondum secutâ, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederetur ab ea emptione & venditione: invicem liberantur, Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt, sicut jam dictum est.

REGULÆ JURIS ex Tit. XXX. excerptæ.

1. *Solutione eius quod debetur, tollitur obligatio.* princ. hîc.

2. *Aliud pro alio solvi potest consentiente creditore.* d. princ. hîc.

3. *Alius pro alio etiam invito solvere potest.* d. princ. hîc.

4. *Acceptilatione verborum etiam tollitur obligatio.* §. Item. 1. hîc.

5. *Et Græcè fieri potest acceptilatio.* §. Item. 1.

6. *Consentaneum visum est, verbis factam obligationem aliis posse verbis dissolvi.* §. Item. 1. hîc.

7. *Id, quod alia ex causa debetur, potest in stipulationem deduci, & per acceptilationem dissolvi.* d. §. Item. 1. hîc.

8. *Quod debetur, pro parte rectè solvitur.* d. §. Item. 1. hîc

9. In

9. *In parte debiti acceptilatio rectè fieri potest*, d. §. Item. 1. hîc.

10. *Aquiliana omnium rerum obligatio in stipulatum deduci potest, & per acceptilationem tolli.* §. Est autem. 2. hîc.

11. *Novatione etiam tollitur obligatio.* §. Præterea. 3. hîc.

12. *Interventu novæ personæ nova etiam nascitur obligatio.* d. §. Præterea. 3 hîc.

13. *Obligatio utilis quandoq; tollitur stipulatione inutili.* d. §. Præterea. 3. hîc.

14. *Interventu pupilli obligatio novatur.* d. §. Præterea. 3. hîc.

15. *Interventu servi obligatio non novatur.* §. Præterea. 3. hîc.

16. *Conditione adjectâ fit novatio* d. §. Præterea. 3. hîc.

17. *Tum fit novatio, cùm novandi animo in secundam obligationem itum est, idq; expressim.* d. § Præterea. 3. hîc.

18. *Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur.* §. Hoc amplius. 4. hîc.

IN-

INSTITUTIONUM SEU ELEMENTORUM D. Justiniani sacratissimi Principis,

LIBER QUARTUS:

DE OBLIGATIONIBUS, quæ ex delicto nascuntur.

TITULUS PRIMUS.



VUM sit expositum superiore libro de obligationibus ex contractu, [& quasi ex contractu:] sequitur, ut de obligationibus ex maleficio, [& q. ex maleficio] disputemus. Sed illæ quidem (ut suo loco tradidimus) in quatuor genera dividuntur: hæ verò unius generis sunt. Nam omnes ex re nascuntur, id est, ex ipso maleficio, veluti ex furto, rapina, damno, injuria. 1. ¶ Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usus

usus eius possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere. 2. ¶ Furtum autem, vel à furto, id est; nigro, dictum est, quòd clàm & obscurè fiat, & plerumque nocte: vel à fraude, vel á ferendo, id est, auferendo: vel à Græco sermone, quod φῶρας appellant fures. Imò & Græci à ferendo φῶρας dixerunt.

3. ¶ Furtorum autem duo sunt genera: manifestum, & nec manifestum. Nam conceptum & oblatum, species potiùs actionis sunt furtro cohærentes, quàm genera furtorum, sicut inferius apparebit. Manifestus fur est, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant: nec solùm is, qui in ipso furto deprehenditur, quo [furtum] fit: veluti qui in domo furtum fecit: & nondum egressus januam, deprehensus fuerit: & qui in oliveto olivarum aut in vineto uvarum furtum fecit, quamdiu in eo oliveto aut vineto deprehensus fuerit. Imò ulterius furtum manifestum est extendendum, quàmdiu eam rem fur tenens visus vel deprehensus fuerit: sive in publico, sive in privato, vel à domino, vel ab alio, antequá eò pervenerit, quó deferre vel deponere destinasset. Sed si pertulit, quò destinavit, tametsi deprehendatur cum re furtiva, non est mani-

manifestus fur. Nec manifestum furtum quid sit, ex iis quę diximus, intelligitur. Nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est.

4. ¶ Conceptum furtum dicitur, cùm apud aliquem testibus præsentibus furtiva res quæsita & inventa sit. Nam in eum propria actio constituta est, quamvis fur non sit, quæ appellatur concepti. Oblatum furtum dicitur, cùm res furtiva ab aliquo tibi oblata sit, eáque apud te concepta sit: utique si eâ mente tibi data fuerit, ut apud te potiùs quàm apud eum, qui dedit, conciperetur. Nam tibi, apud quem concepta sit, propria adversus eum, qui obtulit, quamvis fur non sit, constituta est actio, quæ appellatur oblati. Est etiam prohibiti furti actio adversus eum, qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit. Præterea pœna constituitur edicto prætoris per actionem furti non exhibiti adversus eum, qui furtivam rem apud se quæsitam & inventam non exhibuit. Sed hæ actiones, scilicet concepti & oblati, & furti prohibiti, nec non furti non exhibiti, in desuetudinem abierunt. Quum enim requisitio rei furtivæ hodiè secundum veterem observationem non fiat: meritò ex consequentia etiam præfatæ actiones ab usu

communi recesserunt: quum manifestum sit, quod omnes, qui scientes rem furtivam susceperint, & celaverint, furti nec manifesti obnoxii sunt.

5. ¶ Pœna manifesti furti quadrupli est, tam ex servi, quàm ex liberi persona: nec manifesti dupli. 6. ¶ Furtum autem fit, non solùm cùm quis intercipiendi causâ rem alienam amovet: sed generaliter, cùm quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, eâ re utatur, sive is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cuius gratiâ ei data est: furtum committit. Veluti si quis argentum utendum acceperit, quasi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregrè secum tulerit: aut si quis equum gestandi causâ commodatum sibi, longiùs aliquò duxerit: quod veteres scripserunt de eo, qui in aciem equum perduxisset.

7. ¶ Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ita furtum committere: si se intelligant, id invito domino facere, eúmq; si intellexisset, non permissurum, ac si permissurum credant, extra crimen videri, optimâ sanè distinctione: quia furtum sine affectu furandi non committatur.

8. ¶ Sed

8. ¶ Sed & si credat aliquis invito domino se rem commodatam sibi contrectare, domino autem volente id fiat: dicitur furtum non fieri. Unde illud quæsitū est, cùm Titius servum Mævii sollicitaverit, ut quasdam res domino subriperet, & ad eum perferret, & servus id ad Mæviū pertulerit. Mævius [autem] dum vult Titium ipso delicto deprehendere, permiserit servo quasdam res ad eum perferre: utrum furti, an servi corrupti judicio teneatur Titius, an neutro? Et cùm nobis super hac dubitatione suggestum est, & antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti, neque servi corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo: nos huiusmodi calliditati obviam euntes, per nostram decisionem sancimus, non solùm furti actionem, sed & servi corrupti contra eum dari. Licet enim [is] servus deterior [à sollicitatore] minimè factus est, & ideò non concurrant regulæ, quæ servi corrupti actionem introducunt, tamen consilium corrupteris ad perniciem probitatis servi introductum est, ut sit ei pœnalis actio imposita, tanquam [si] re ipsa fuisset servus corruptus: ne ex huiusmodi impunitate & in alium servum, qui facilè posset corrumpi, tale facinus à qui-

busdam perpetretur. 9. ¶ Interdum etiam liberorū hominum furtum fit. Veluti si quis liberorum nostrorum, qui in potestate nostra sunt, subreptus fuerit. 10. ¶ Aliquando autem etiam suæ rei furtum quis committit: veluti si debitor rem, quam creditori pignoris causâ dedit, subtraxerit.

11. ¶ Interdum [quoque] furti tenetur, qui ipse furtum non fecit: qualis est is, cuius ope & consilio furtum factum est. In quo numero est, qui tibi nummos excussit, ut alius eos raperet: aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas vel boves fugaverit, ut alius eas acciperet. Et hoc veteres scripserunt de eo, qui panno rubro fugavit armentum. Sed si quid eorum per lascivam, & non data opera, ut furtum admitteretur, factum est: in factum actio dari debet. At ubi ope Mævii Titius furtum fecerit: ambo furti tenentur. Ope & consilio eius quoq; furtum admitti videtur, qui scalas fortè fenestris supponit: aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, ut alius furtum faceret: quive ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponeretur, commodaverit, sciens cuius rei gratia commodaverit. Certè qui nullam opem ad furtū faciendum adhibuit, sed tantùm consilium dedit, atque hortatus

est

est ad furtum faciendum, non tenetur furti. 12. ¶ Hi, qui in parentum vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtivam causam cadit (ne ob id ab ullo usucapi potest, antequam in domini potestatem revertatur) sed furti actio non nascitur: quia nec ex alia ulla causa potest inter eos actio nasci. Si verò ope & consilio alterius furtum factum fuerit: quia utiq; furtum committitur, convenienter ille furti tenetur: quia verum est, ope & consilio eius furtum factum esse.

13. ¶ Furti autem actio ei competit, cuius interest rem salvam esse, licet dominus non sit. Itaque nec domino aliter competit, quàm si eius interfit rem non perire. 14. ¶ Unde constat, creditorem de pignore subrepto furti [actione] agere posse, etiamsi idoneum debitorem habeat: quia expedit ei pignori potius incumbere, quàm in personam agere: adeò quidem, ut quamvis ipse debitor eam rem subripuerit: nihilominus creditori competat actio furti.

15. ¶ Item si fullo polienda curandáve, aut sarcinator sarcienda vestimenta mercede certâ [constitutâ] acceperit, eámque furto amiserit: ipse furti habet actionem, non dominus, quia domini nihil interest eam rem

non perire, quum judicio locati à fullone aut sarcinatore rem suam persequi possit. Sed & bonæ fidei emptori subreptâ re, quam emerit quamvis dominus non sit, omninò competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni verò & sarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quàm si solvendo fuerint: hoc est, si domino rei æstimationem solvere possint. Nam si solvendo non sint: tunc quia ab eis suum dominus consequi non possit: ipsi domino furti competit actio: quia hoc casu ipsius interest rem salvam esse. Idem est, & si in parte solvendo fuerit fullo aut sarcinator.

16. ¶ Quæ de fullone & sarcinatore diximus, eadem & ad eum, cui commodata res est: transferenda veteres existimabant. Nam ut ille fullo mercedem accipiendo, custodiam præstat: ita is quoque, qui commodatum utendi causâ accepit, similiter necesse habet custodiam præstare. Sed nostra providentia etiam hoc in nostris decisionib. emendavit, ut in domini voluntate sit: sive commodati actione adversus eum, qui rem commodatam accepit, movere desiderat: sive furti adversus eum, qui rem subripuit, & alterutra earum electa, dominum non posse ex pœnitentia ad alteram venire actionem. Sed

siqui-

siquidem furem elegerit: illũ, qui rem utendam accepit, penitùs liberari. Sin autem commodator veniat adversus eum, qui rem utendam accepit: ipsi quidem nullo modo competere posse adversus furem furti actionem. Eum autem, qui pro re cõmodata convenitur, posse adversus furem furti habere actionem: ita tamen si dominus sciens rem esse subreptam, adversus eum, cui res commodata fuerit, pervenit. Sin autem nescius & dubitans rem esse subreptam, apud eum commodati actionem instituerit, postea aũtem re compertâ voluerit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem actionem pervenire: tunc licentia ei conceditur, & adversum furem venire obstaculo nullo ei opponendo, quoniam incertus constitutus movit adversus eum, qui rem utendam accepit commodati actionem: nisi domino ab eo satisfactum fuerit: tunc etenim omninò furem â domino quidem furti actione liberari: suppositum autem esse ei, qui pro re sibi commodatâ domino satisfecit: cùm manifestissimum sit, etiamsi ab initio dominus actionem commodati instituerit, ignarus rem esse subreptam, postea autem hoc ei cognito adversus furem transierit: omninò libe-

rari eum, qui rem commodatam acceperit, quemcunq; causæ exitum dominus adversus furem habuerit: eâdem definitione obtinente sive in parte, sive in solidum solvendo sit is, qui rem commodatam acceperit.

17. ¶ Sed is, apud quem res deposita est, custodiam non præstat: sed tantùm in eo obnoxius est, si quid ipse dolo malo fecerit. Quâ de causa si res ei subrepta fuerit: quia restituendę eius rei nomine depositi non tenetur, nec ob id eius interest, rem salvam esse: furti agere non potest, sed furti actio domino competit.

18. ¶ In summa, sciendum est, quæsitum esse, an impubes rem alienam amovendo, furtum faciat? Et placuit, quia furtum ex affectu [furandi] consistit, ita demùm obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere.

19. ¶ Furti actio, sive dupli, sive quadrupli, tantùm ad pœnæ persecutionem pertinet. Nam ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus, quam aut vindicando aut condicendo potest auferre. Sed rei vindicatio quidem adversus possessorem est: sive fur ipse possidet, sive alius quilibet, condictio

dictio autem adversus furem ipsum heredémve eius licet non possideat, competit.

REGULÆ JURIS ex Tit. I. excerptæ.

1. *Membra divisionis eo, quo proposita, modo explicanda sunt.* Princ. hîc.

2. *Obligationes quæ ex delicto nascuntur, unius generis sunt.* princ. hîc.

3. *Obligationes quæ ex delicto, omnes ére oriuntur.* d. princ. hîc.

4. *Hinc: Furtum verbis aut scripturâ non contrahitur,* d. princ. hîc.

5. *Furtum omne fit contrectatione fraudulosâ.* §. Furum. 1. hîc.

6. *Furtum omne fit lucri faciendi gratiâ.* d. §. Furtum. 1. hîc.

7. *Furtum est rei vel etiam usus eius possessionisve,* d. § Furrum. 1. hîc.

8. *Furtum lege naturali prohibitum est admittere.* §. Furtum. 1. hîc.

9. *Species actionis à generibus furtorum distingvendæ sunt.* §. Furtorum. 3. hîc.

10. *Manifestum furtum ex loco furti etiam confirmatur.* d. §. Furtorum. 3. hîc.

11. *Contrariorum eadem est ratio & scientia.* d. §. Furtorum. 3. hîc.

12. *Omnes qui scientes rem furtivam susceperunt & celaverunt, furti non manifesti obnoxii sunt* §. Conceptum. 4. hîc.

13. *Pœna furti manifesti quadrupli est.* §. Pœna. 5. hîc.

14. *Pœna furti nec manifesti dupli est.* §. Pœna. 5. hîc.

15. *Furtum fit, cùm quis alienam rem invito domino contrectat.* §. Furtum autem fit. 6. hîc.

16. *Si commodatarius scit, se re commodatâ uti invito domino, furtum committit.* §. Placuit. 7. hîc.

17. *Furtum sine affectu furandi non committitur.* d. §. Placuit 7. hîc.

18. *Furtum factum cum voluntate domini, non parit actionem.* §. Sed etsi. 8. hîc.

19. *Calliditati obviam eundum est.* §. Sed etsi. 8. hîc.

20. *Malum sollicitatorii consilium puniendum est.* d. §. Sed etsi. 8. hîc.

21. *Ex delictorum impunitate facilè aliud potest subnasci.* d. §. Sed etsi. 8. hîc.

22. *Exempla facilè trahuntur in consequentiam* d. §. Sed etsi. 8. hîc.

23. *Interdum & liberorum hominum furtum fit.* §. Interdum. 9. hîc.

24. A-

24. *Aliquando etiam suæ rei furtum quis committit.* §. Aliquando. 10. hîc.

25. *Furti tenetur, cuius ope & consilio furtum factum est.* §. Interdum. 11. hîc.

26. *Filius familias patri furtum facere potest.* §. Hi qui. 12. hîc.

27. *Servus domino furtum facere potest.* d. § Hi qui. 12. hîc.

28. *Res à filiofamilias aut servo subtracta, in furtivam causam cadit, unde nec usucapi potest, antequam in domini potestatem revertatur.* d. §. Hi qui. 12. hîc.

29. *Inter filium f. & patrem actio furti non oritur.* d. §. Hi qui. 12. hîc.

30. *Inter servum & dominum actio furti non oritur.* d. §. Hi qui. 12. hîc.

31. *Cuius ope & consilio filius familias aut servus furtum fecit, ille furti tenetur.* d. §. Hi qui. 12. hîc.

32. *Furti actio ei competit, cuius interest rem falsam esse, licet dominus non sit.* §. Furti actio. 13. hîc.

33. *Creditor de pignore surrepto furti actione potest agere.* §. Unde. 14. hîc.

34. *Creditori expedit pignori potius incumbere, quàm in personam agere.* dict. §. Unde. 14. hîc.

35. Ful-

35. *Fulloni, si polienda vestimenta furto amiserit, competit furti actio, si sit solvendo.* §. Item. 15. hîc.

36. *Et commodatario datur actio furti, si sit solvendo.* §. Quæ de fullone. 16. hîc.

37. *Actio furti hodiè non datur commodatario, sed domino, si voluerit.* d. §. Quæ de fullone. 16. hîc.

38. *Depositario non datur actio furti.* §. Sed is. 17. hîc.

39. *Quid: Depositarius custodiam rei non præstat, nec eius interest, rem esse salvam.* d. §. Sed is. 17. hîc.

40. *Impubes si proximus sit pubertati, furtum facit.* §. In summa. 18. hîc.

41. *Furti actio tantùm ad pœnæ persecutionem pertinet.* §. Furti actio. 19.

42. *Ipsius rei persecutionem extrinsecus habet dominus.* d. §. Furti actio. 19. hîc.

43. *Rei vindicatio datur adversus possessorem.* d. §. Furti actio. 19. hîc.

44. *Conductio furtiva datur etiam adversus heredem furis.* dict. §. Furti actio. 19. hic.

DE

DE VI BONORUM raptorum.

TITUL. II.

QVI res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis rem alienam invito domino contrectat, quàm qui vi rapit? Ideóque rectè dictum est, eum improbum furem esse) sed tamen propriam actionem eius delicti nomine prætor introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorum: & est intra annum quadrupli, post annum simpli: quæ actio utilis est, etiam si quis unam rem, licet minimam rapuerit. Quadruplum autem non totum pœna est, sicut in actione furti manifesti diximus, sed in quadruplo ineſt & rei persecutio: ut pœna tripli sit, sive comprehendatur raptor in ipso delicto, sive non. Ridiculum enim esset levioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quàm qui clam amovet.

1. Ita tamen competit hæc actio, si dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens juris, eo animo rapuerit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre à pos-

ses-

sessoribus: absolvi debet. Cui scilicet conveniens est, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via, per quam raptores impunè suam exerceant avaritiam: melius divalibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, ut nemini liceat vi rapere vel rem mobilem, vel se moventem, licet suam eandem rem existimet: Sed si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere: sin autem aliena[res]sit, post restitutionem eius etiam æstimationem eiusdem rei præstare. Quod non solùm in mobilibus rebus, quæ rapi possunt, constitutiones obtinere censuerunt: Sed etiam [in] invasionibus, quæ circa res soli fiunt, ut ex hac caussa ab omni rapinâ homines abstineant. 2. ¶ Sanè in hac actione non utique expectatur, rem in bonis actoris esse. Nam sive in bonis sit, sive non: si tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. Quare, sive locata, sive commodata, sive etiam pignerata, sive depositа sit [res] apud Titium, sic ut interest eius eam rem [per vim] non auferri (veluti si in depositа re culpam quoque promisit) sive bonâ fide possideat, sive usumfructum quis habeat in ea, vel quid aliud juris, ut interest eius non rapi: dicendum est ei, com-

competere hanc actionē, non ut dominium accipiat: sed illud solùm, [quod] ex bonis eius, qui rapinam passus est, [id est,] quod ex substantia eius ablatum esse proponatur. Et generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in rem clàm facta, ex eisdem causis omnes habere hanc actionem.

REGULÆ JURIS ex Tit. II. excerptæ.

1. *Raptor actione furti etiam tenetur.* Princip. hîc.

2. *Nemo magis alienam rem invito domino contrectat, quàm qui vi rapit.* d. princ. hîc.

3. *Propter vim bonorum raptorum Prætor peculiarem introduxit actionem.* d. pr. hîc.

4. *Actio de vi bonorum raptorum est intra annum quadrupli, post annum simpli.* dict. princ. hîc.

5. *Actio de vi bonorum raptorum utilis est, etiamsi quis minimam rem rapuerit.* d. princip. hîc.

6. *Quadruplum hîc non totum pœna est, sed in eo inest & rei persecutio.* d. pr. hîc.

7. *Raptor sive comprehendatur in delicto, sive non, eadem planè pœna est.* d. princ.

8. *Ri-*

8. *Ridiculum est, levioris conditionis esse eum, qui vi rapit, quàm qui clàm amovet.* dict. princ. hîc.

9. *Tum demùm competit hæc actio, si dolo malo quis rapuerit.* §. Ita tamen. 1. hîc.

10. *Raptor errore excusatur.* d. § Ita tamen. 1. hîc.

11. *Quæ ad delicta ducunt, facilè excogitantur.* d. §. Ita tamen. 1. hîc.

12. *Raptor si est dominus, cadit dominio rei.* d. § Ita tamen. 1. hîc.

13. *Raptor si non est dominus, restituere debet rem domino, & una æstimationem eius.* d. §. Ita tamen. 1. hîc.

14. *Pœna constitutionis de vi bonorum raptorum valet non tantùm in rebus mobilibus, sed & immobilibus.* d. §. Ita tamen. 1. hîc.

15. *Homines ab omni rapina abstinere debent.* d. §. Ita tamen. 1. hîc.

16. *Actio vi bonorum raptorum datur ei, cui interest.* §. Sanè. 2. hîc.

17. *Actio vi bonorum raptorum datur tantùm ad id, quod interest.* d. §. Sanè. 2. hîc.

18. *Generaliter ex quibus causis furti actio competit in re clam facta, ex iisdem causis omnes hanc vi bonorum raptorum habent actionem.* d. §. Sanè. 2. hîc.

DE

DE LEGE AQVILIA.

TIT. III.

DAmni injuriæ actio constituitur per legem Aquiliam: cuius primo capite cautũ est, *ut si quis alienum hominem, alienámve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuriâ occiderit: quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantùm domino dare damnetur.*

1. ¶ Quod autem non præcisè de quadrupede, sed de ea tantùm, quæ pecudum numero est, cavetur: eò pertinet, ut neque de feris bestiis, neque de canibus cautum esse intelligamus: sed de iis tantùm, quæ [gregatim] propriè pasci dicuntur: quales sunt equi, muli, asini, oves, boves, capræ. De suibus quoq; idem placuit. Nam & sues pecudum appellatione contineantur: quia & hi gregatim pascuntur. Sic denique & Homerus in Odyssea ait (sicut Ælius Martianus in suis institutionibus refert:)

Δήεις τὸν γε σύεσσι παρήμενον, οἳ δὲ νέμονται
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ ἐπὶ τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

Id est:

Sectantem videas, qui errant per pascua, porcos
Ad Coracis saxum, juxta fontemque Arethusam.

2. ¶ Injuriâ autem occidere intelligitur, qui nullo jure occidit. Itaq; qui latronem [insidiatorem] occiderit: non tenetur, utique si aliter periculum effugere non potest. 3. ¶ Ac ne is quidem hac lege tenetur, qui casu occidit, si modò culpa eius nulla inveniatur. Nam alioqui non minus ex dolo, quàm ex culpa quisq; hac lege tenetur.

4. ¶ Itaque si quis dum jaculis ludit, vel exercitatur, transeuntem servum tuum trajecerit: distingvitur. Nam si id à milite in eo campo, ubi solitum est exercitari, admissum est: nulla culpa eius intelligitur. Si alius tale quid admiserit: culpæ reus est. Idem juris est de milite, si in alio loco, quàm qui ad exercitandũ militibus destinatus est, id admiserit. 5. ¶ Item si putator ex arbore dejecto ramo servum tuum transeuntem occiderit: si propè viam publicam aut vicinalem id factum est, neq; proclamavit, ut casus evitari posset: culpæ reus est. Sed si proclamavit, nec ille curavit præcavere, extra culpam esse putator. Æquè extra culpam esse intelligitur, si seorsum à via forte vel in medio fundo cædebat, licet non proclamavit: quia in eo loco nulli extraneo jus fuerat versandi. 6. ¶ Præterea si medicus, qui servum tuum secuit, dereliquerit curationem [eius], & ob id mortuus fuerit

rit servus, culpæ reus erit. 7. ¶ Imperitia quoq; culpæ adnumeratur: veluti si Medicus [ideò] servum tuũ occiderit, quia male eum secuerit, aut perperam ei medicamentum dederit. 8. ¶ Impetu quoq; mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, si servus tuus oppressus fuerit: culpæ reus est mulio. Sed si & propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cùm alius firmior eas retinere potuisset: æquè culpa tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cum equo veheretur, impetum eius, aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam suam retinere non potuerit. 9. ¶ His autem verbis legis, *quanti id in eo anno plurimi fuerit*, illa sententia exprimitur: ut si quis hominem tuum, qui hodiè claudus, aut mancus, aut luscus erit, occiderit, qui in eo anno integer, aut pretiosus fuerit: non tanti teneatur, quanti hodiè erit, sed quanti in eo ão plurimi fuerit. Quâ ratione creditum est penalem esse huius legis actionẽ: quia non solũ tanti quisq; obligatur, quantũ damni dederit, sed aliquando longè pluris. Ideóq. constat in heredẽ eã actionem non transire, quæ transitura fuisset, si ultra damnũ nũquã lis æstimaretur. 10 ¶ Illud nõ ex verbis legis, sed ex interpretatiõe placuit: nõ solũ peremti corporis ęstimatiõẽ habẽdã esse

secundùm ea, quæ diximus: sed eò amplius, quicquid præterea perempto eo corpore damni vobis illatum fuerit: veluti si servum tuum heredem ab aliquo institutum, ante quis occiderit, quàm is jussu tuo hereditatem adierit. Nam hereditatis quoque amissæ rationem esse habendam constat. Item si ex pluribus mularum unam, vel ex quadrigis equorum unum quis occiderit, vel ex comœdis unus servus occisus fuerit: non solùm occisi fit æstimatio, sed eo amplius, id quoque computatur, quanti depretiati sunt, qui supersunt.

11. ¶ Liberum autem est ei, cuius servus occisus fuerit, & ex judicio privato legis Aquiliæ damnum persequi, & capitalis criminis eum reum facere. 12. ¶ Caput secundum legis Aquiliæ in usu non est. 13. ¶ Capite tertio de omni cætero damno cavetur. Itaque si quis servum vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero est, vulneraverit: sive eam quadrupedem, quæ pecudum numero non est, veluti canem aut feram bestiam vulneraverit, aut occiderit: hoc capite actio constituitur. In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ animâ carent, damnum per injuriam datum, hac parte vindicatur. Si quid enim ustum, aut ruptum,

ptum, aut fractum fuerit: actio ex hoc capite constituitur, quanquam poterat sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere: Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum est. Unde non solùm fracta, aut usta, sed etiam scissa, & collisa, & effusa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta, hoc verbo continentur. Deniq; responsum est, si quis in alienum vinum aut oleum, id miscuerit, quo naturalis bonitas vini aut olei corrumperetur: ex hac parte legis [Aquiliæ] eum teneri.

14. ¶ Illud palàm est, sicut ex primo capite ita demùm quisque tenetur, si dolo aut culpâ eius homo aut quadrupes occisus occisáve fuerit: ita ex hoc capite de dolo aut culpa, [&] de cætero damno quemque teneri. [Ex] hoc tamen capite non quanti in eo anno, sed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit.

15. ¶ At nec *plurimi* quidem verbum adjicitur. Sed Sabino rectè placuit, perinde habendam æstimationem, ac si etiam hac parte *plurimi* verbum adjectum fuisset. Nam plebem Romanam, quæ Aquilio tribuno interrogante hanc legem tulit, contentam fuisse, quod prima parte eo verbo usa esset.

16. ¶ Cæterùm placuit, ita demùm di-

directam ex hac lege actionem esse, si quis præcipuè corpore suo damnum dederit. Ideóque in eum, qui alio modo damnum dederit, utiles actiones dari solent. Veluti si quis hominem alienum, aut pecus ita incluserit, ut famè necarentur: aut jumentum ita vehementer egerit, ut rumperetur: ut pecus in tantum exagitaverit, ut præcipitaretur, aut si quis alieno servo persuaserit, ut in arborem ascenderet, vel in puteum descenderet, & is ascendendo vel descendendo, aut mortuus, aut aliquâ parte corporis læsus fuerit, utilis actio in eum datur. Sed si quis alienum servum, [aut] de ponte, aut de ripa in flumen dejecerit, & is suffocatus fuerit: eò, quod projecit, corpore suo damnum dedisse, non difficulter intelligi potest: Ideóque ipsâ lege Aquiliâ tenetur. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit: quum non sufficiat, neque directa, neque utilis legis Aquiliæ actio: placuit eum, qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri; veluti si quis misericordiâ ductus alienum servum compeditum solverit, ut fugeret.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. IV. excerptæ

1. *Damni injuriæ actio constituitur per legem Aquiliam.* Princ. hîc.

2. *Lex Aquilia loquitur de quadrupe, quæ pecudum numero est.* §. Quod autem. 1. hîc.

3. *Et sues pecudum appellatione continentur.* d. §. Quod autem. 1. hîc.

4. *Injuriâ occidit, qui nullo jure occidit.* §. Injuriâ. 2. hîc.

5. *Qui jure quid facit, etiam cum alterius damno, non incidit in legem Aquiliam.* d. §. Injuria. 2. hîc.

6. *Qui casu occidit, non tenetur l. Aquilia.* § Acneis. 3. hîc.

7. *Qui dolo aut culpâ occidit, l. Aquilia tenetur.* d. §. Acneis. 3. hîc.

8. *Qui se debito loco exercet, & alium interim lædit, non tenetur l. Aquilia.* §. Itaque si quis. 4. hîc.

9. *Putator propè viam publicam proclamare debet, ut casus evitari possit. Si non, & læserit quem, tenetur hac lege Aquiliâ.* §. Item si. 5. hîc.

10. *In medio cædens & quem lædens, licet*

non proclamaverit, hac lege Aquilia non tenetur. d. §. Item si. 5. hîc.

11. *In medio fundo extraneo non est jus versandi.* §. Item si. 5. hîc.

12. *Medicus facienda non faciens, culpæ reus est.* §. Præterea. 6. hîc.

13. *Imperitia culpæ annumeratur.* §. Imperitia. 7. hîc.

14. *Imperitia mulieris & equitis culpa est.* §. Impetu. quoq; 8. hîc.

15. *Pœna maleficii secundum totum annum æstimanda est.* §. His autem. 9. hîc.

16. *Legis Aquiliæ actio pœnalis est.* d. §. His autem. 9. hîc.

17. L. *Aquiliæ actio in heredem non transit.* d. § His autem. 9. hîc.

18. *Vbi ultra damnum lis non æstimatur, actio non transit in heredem.* dict. §. His autem. 9. hîc.

19. *Ius est non tantùm quod ex verbis, sed etiam quod ex interpretatione provenit.* §. Illud. 10. hîc.

20. *Non solùm perempti corporis, sed & damni illati æstimatio habenda est.* d. §. Illud. 10. hîc.

21. *Libera est hîc actionum concurrentium electio.* §. Liberum autem. 11. hîc.

22. *Actio Legis Aquiliæ ex tertio capite tantùm domino datur.* Giph. hîc. per all. 23.

23. *Caput tertium legis Aquiliæ ad omne damnum cæterum pertinet.* §. Capite tertio. 13. hîc.

24. *Ex tertio capite l. Aquiliæ tantùm dolus & culpa attenduntur.* §. Illud. 14. hîc.

25. *Ex tertio capite quanti in diebus 30. proximis res fuerit, is qui damnum dedit, obligatur.* d. §. Illud. 4. hîc.

26. *Tertium caput legis Aquiliæ à primo in summa non differt.* §. At nec plurimi. 15. hîc.

27. *Quando damnum datur corpore, & in corpus, tum locum habet directa actio* §. fin. hîc.

28. *Quando damnum datur tantùm in corpus & non corpore, tum locum habet utilis actio.* d. §. fin. hîc.

29. *Quando damnum datur neq; corpore, neq; in corpus, tum locum habet actio in factum subsidiaria.* d. §. fin. hîc.

DE INJURIIS.

Tit. IV.

GEneraliter injuria dicitur omne, quod non jure fit. Specialiter, aliàs contumelia, quæ â contemnendo dicta est, quam Græci ὕβριν appellant: aliàs culpa, quam

Græci ἔγκλημα dicunt, sicut in lege Aquilia damnum injuriâ datum accipitur, aliàs iniquitas & injusticia, quam Græci ἀνομίαν καὶ ἀδικίαν vocant. Cùm enim prætor vel judex non jure contra quem pronunciat: injuriam accepisse dicitur.

1. ¶ Injuria autem committitur non solùm cum quis pugno pulsatus, aut fustibus cæsus vel etiam verberatus erit: sed & si cui convicium factum fuerit. Sive cuius bona q. debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil eum sibi debere: vel si quis ad infamiam alicuius libellum, aut carmen, [aut historiam] scripserit, composuerit ediderit, dolóve malo fecerit, quo quid eorum fieret: sive quis matremfam., aut prætextatum, prætextatámve adsectatus fuerit: sive cuius pudicitia attentata esse dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti injuriam manifestum est.

2. ¶ Patitur autem quis injuriam non solùm per semetipsum, sed [etiam] per liberos suos, quos in potestate habet: itemq; per uxorem suam. Id enim magis prævaluit. Itaq; si filiæ alicuius, quæ Titio nupta est, injuriam feceris: non solùm filiæ nomine tecum injuriarum agi potest, sed etiam patris quoq; & mari-

mariti nomine. Contrà autem, si viro injuria facta sit: uxor injuriarum agere non potest. Defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus, æquum est. Sed & socer nurus nomine, cuius vir in [eius] potestate est, injuriarum agere potest. 3. ¶ Servis a. ipsis quidem nulla injuria fieri intelligitur, sed domino fieri per eos videtur, non tamen isdé modis, quibus etiam per liberos & uxores: sed ita, cùm quid atrociùs commissum fuerit, & quod aperté ad contumeliã domini respicit: veluti si quis alienum servum [atrociter] verberaverit, & in hunc casum actio proponitur. At si quis servo convicium fecerit, vel pugno eum percusserit: nulla in eum actio domino competit. 4. ¶ Si communi servo injuria facta sit: æquum est, non pro ea parte, quâ dominus quisque est, æstimationem injuriæ fieri, sed ex dominorum persona, quia ipsis fit injuria. 5. ¶ Quod si usus fructus in servo Titii est, proprietas Mævii: magis Mævio injuria fieri intelligitur. 6. ¶ Sed si libero [homini], qui tibi bonâ fide servit, injuria facta sit: nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine id experiri poterit, nisi in contumeliã tuam pulsatus sit, tunc enim competit & tibi injuriarum actio. Idem ergò est & in servo alieno bonâ fide tibi serviẽte, ut totiens admittatur

inju-

injuriarum actio, quotiens in tuam contumeliam injuria ei facta sit. 7. ¶ Pœna autem injuriarum ex lege duodecim tab. propter membrum quidem ruptum talio erat: propter os verò fractum nummariæ pœnæ erant constitutæ, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea prætores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt eam æstimare, ut judex vel tanti [reum] condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem injuriæ, quæ ex lege duodecim tabularum introducta est, in desuetudinem abiit. Quam autem prætores introduxerunt (quæ etiam honoraria appellatur) in judiciis frequentatur. Nam secundùm gradum dignitatis viteque honestatem, crescit aut minuitur æstimatio injuriæ, qui gradus condemnationis, & in servili persona non immeritò servatur, ut aliud in servo actore, aliud in medii actus homine, aliud in vilissimo vel compedito jus [æstimationis] constituatur.

8. ¶ Sed & lex Cornelia de injuriis loquitur, & injuriarum actionem introduxit, quæ competit ob eam rem, quòd se pulsatum quis, verberatùmve, vel domum suam vi introitam esse dicat. Domum autem accipimus, sive in propria domo quis habitet, sive in con-

conducta, sive gratis, sive hospitio receptus sit.

9. ¶ Atrox injuria æstimatur vel ex facto, veluti si quis ab alio vulneratus sit, vel fustibus cæsus. Vel ex loco: veluti si cui in theatro, vel in foro, vel conspectu prætoris injuria facta sit. Vel ex persona: veluti si magistratus injuriam passus fuerit, vel si Senatori ab humili persona injuria facta sit, aut parenti patronove fiat à liberis vel libertis. Aliter enim Senatoris & parentis patroniq;, aliter extranei & humilis personæ injuria æstimatur. Nonnunquam & locus vulneris atrocem injuriâ facit, veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parvi autem refert, utrum patrifamilias an filiofamilias talis injuria facta sit: Nam & hæc atrox injuria æstimabitur.

10. ¶ In summa, sciendum est, de omni injuria eum, qui passus est, posse vel criminaliter agere, vel civiliter: & siquidem civiliter agitur: æstimatione factâ secundùm quod dictum est, pœna reo imponitur. Sin autem criminaliter: officio judicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet observando, quod Zenoniana constitutio introduxit, ut viri illustres, quique super eos sunt, & per procuratores possint actione injuriarum crimina-

minaliter vel persequi vel suscipere, secundùm eius tenorem, qui ex ipsa manifestius apparet. 11. ¶ Non solùm autem is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, id est, qui percussit: verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit [injuriam], vel qui procuravit, ut cui mala pugno percutteretur. 12 ¶ Hæc actio dissimulatione aboletur, & ideo si quis injuriam dereliquerit, hoc est, statim passus ad animum suum non revocaverit: postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolere.

REGULÆ JURIS ex Titul. IV. excerptæ.

1. *Is contra quem judex non jure pronunciat, injuriam accepit.* Princ. hîc.

2. *Injuria committitur partim factis, partim verbis.* §. Injuria. 1. hîc.

3. *Patitur quis injuriam per semetipsum,* §. Patitur. 2. hîc.

4. *Patitur quis injuriam etiam per liberos suos.* d. §. Patitur. 2. hîc.

5. *Patitur quis injuriam etiam per uxorem suam* d. §. Patitur. 2. hîc.

6. Cui

6. *Cui viro injuria facta est, uxor injuriarum agere non potest.* §. Patitur. 2. hîc.

7. *Defendendi uxores à viris, non vires ab uxoribus æquum est.* d. §. Patitur. 2. hîc.

8. *Socer nurus nomine injuriarum agere potest.* d. §. §. Patitur. 2. hîc.

9. *Servis ipsis nulla injuria fieri intelligitur.* §. Servis. 3. h. c.

10. *Per servos domino fit injuria.* d. §. Servis. 3. h. c. *Sed cum restrictione.*

11. *Si communi servo injuria facta sit, ex dominorum persona æstimatio fieri debet.* § Si communi. 4. h. c.

12. *Injuria servo communi facta, domino fit.* d. §. Si communi. 4. hîc.

13. *Injuria servi, in quo est usus fructus ad proprietatem pertinet.* §. Quod si. 5. h. c.

14. *Libero homini injuria facta si sit, ei, cui servit, nulla datur actio.* §. Quod si libero. 6. h. c. *nisi in contumeliam eius pulsatus est.*

15. *Generatim: In cuius contumeliam facta est injuria, ei & injuriæ competit actio.* d. §. Sed si libero. 6. h. c.

16. *Secundum gradum dignitatis vitæq; honestatem crescit aut minuitur injuriæ æstimatio.* §. Pœna. 7. hîc.

17. *Gra-*

17. *Gradus condemnationis & in servili persona non immeritò servatur.* d. §. Pœna autem. 7. hîc.

18. *Lex Cornelia injuriarum actionem etiam introduxit.* § Sed & 8 h. c.

19. *Atrox injuria ex multis æstimari potest.* §. Atrox. 9. h. c.

20. *Nam: Atrox injuria æstimatur ex facto.* §. Atrox. 9. h. c.

21. *Atrox injuria æstimatur etiam ex loco.* d. §. Atrox. 9. hîc.

22. *Atrox injuria æstimatur etiam ex persona.* § Atrox. 9. h. c.

23. *Atrox injuria æstimatur etiam ex loco vulneris.* d. §. Atrox. 9. hîc.

24. *Atrox injuria & patrifamilias & filiof. inferri potest* d. §. Atrox. 9. hîc.

25. *De omni injuria is, qui passus est, potest vel criminaliter agere, vel civiliter.* §. In summa. 10. h. c.

26. *Quando de injuria civiliter agitur, æstimatione factâ pœna reo imponitur.* d. §. In summa. 10. hîc.

27. *Quando de injuria criminaliter agitur, officio judicis ordinaria pœna reo irrogatur.* d. §. In summa. 10. hîc.

28. *Viri illustres per procuratores possunt actionem*

nem injuriarum criminaliter vel persequi, vel suscipere d. §. In summa. 10. hîc.

29. *Non solùm is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, verùm ille quoq;, qui procuravit, ut fieret illa.* §. Non solùm. 11. hîc.

30. *Actio injuriarum dissimulatione aboletur.* §. Hæc actio. 12. hîc.

31. *Injuriam passus, eámque ad animum non statim revocans, postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolere.* d. §. Hæc actio. 12. hîc.

DE OBLIGATIONIBUS, quæ quasi ex delicto nascuntur.

TITUL. V.

SI judex litem suam fecerit: non propriè ex maleficio obligatus videtur. Sed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus est, & utiq; peccasse aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideò videtur quasi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni judicantis videbitur, pœnam sustinebit.

1. ¶ Item is, ex cuius cœnaculo, vel proprio ipsius, vel conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum effusúmve aliquid est, ita ut alicui noceret: quasi ex maleficio obligatus intelligitur, ideò autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerunque ob alterius culpam tenetur, aut servi, aut liberi. Cui similis est is, qui eâ parte, quâ vulgò iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest (si ceciderit) alicui nocere: quo casu pœna decem aureorum constituta est. De eo verò, quod dejectum effusúmve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. Ob hominem verò liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituitur. Sin vero vivat, nocitúmque ei esse dicatur: quantum ob eam rem æquum judici videtur, actio datur. Judex enim computare debet mercedes medicis præstitas, cæteráque impendia, quæ in curatione facta sunt. Præterea operas, quibus caruit aut cariturus est ob id, quod inutilis est factus.

2. ¶ Si filiusfamilias seorsum à patre habitaverit, & quid ex cœnaculo eius dejectum effusúmve fuerit, sive quid positum suspensúmve habuerit, cuius casus periculosus est: Juliano placuit in patrem nullam [esse] actionem, sed cum ipso filio agendum esse.

Quod

Quod & in filio familias judice observandum est, qui litem suam fecerit.

3. ¶ Item exercitor navis aut cauponæ aut stabuli de dolo aut furto, quod in navi aut caupona aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur, si modò ipsius nullum est maleficium, sed alicuius eorum, quorum opera navem, aut cauponam aut stabulum exercet. Cùm enim neq; ex maleficio, neque ex contractu sit adversus eum constituta hic actio, & aliquatenus culpæ reus est, quod operâ malorum hominum uteretur, ideò quasi ex maleficio teneri videtur. In his autem casibus in factum actio competit, quæ heredi quidem datur, adversus heredem autem non competit.

REGULÆ JURIS
ex Tit. V. excerptæ.

1. *Iudex litem suam facit per imprudentiam judicans.* princ. hîc.

2. *Iudex per imprudentiam judicans ex æquo maleficii tenetur.* d. pr. hîc.

3. *Iudex per imprudentiam judicans pœnam sustinebit, in quantum de ea re æquum religioni judicantis videbitur.* d. princ. hîc.

4. *Ex cuius cœnaculo dejectum effusúmve ali-*

quid est, ita ut alicui noceretur, quasi ex maleficio obligatus intelligitur. §. Item is. 1. hîc.

5. Qui ob alterius culpam tenetur, non propriè ex maleficio obligatur. d. §. Item is. 1. hîc.

6. Eâ parte, quâ vulgò iter fit, quid positum habens, quod si ceciderit, nocere possit, ex quasi maleficio tenetur. d. §. Item is. 1. hîc.

7. Positi pœna est decem aureorum. d. §. Item is. 1. hîc.

8. Quod dejectum effusúmve est, dupli, quantum damni datum sit, constituta est actio. d. §. Item is. 1. hîc.

9. Ob hominem liberum occisum, quinquaginta aureorum pœna constituta est. dict. §. Item is. 1. hîc.

10. Homini libero, si per dejectum nocitum, quantum ob eam rem æquum judici videtur, actio datur. §. Item is. 1. hîc.

11. Si libero homini per dejectum nocitum, judex debet computare mercedes medicis præstitas, cæteraq; impendia, quæ in curatione facta, præterea operas, quibus caruit aut carituras est ob id, quod inutilis est factus. d. §. Item is. 1. hîc.

12. Ex q. maleficio filii pater non tenetur, sed ipse filius. §. Si filius f. 2. hîc.

13. Si filius f. malè judicaverit, pater non tenetur. d. §. Si filius fam. 2. hîc.

14. Exercitor navis aut cauponæ aut stabuli, si quid

quid in illis factum ex quasi maleficio tenetur. §. Item exercitor.3.hîc.

15. *Exercitor navis, cauponæ, stabuli aliquatenus culpæ reus est, quod operâ malorum hominum utitur* d. §. Item.3.hîc.

16. *Si quid in nave, caupona, stabulo factum, actio in factum competit.* d. §. Item exercitor. 3. hîc.

17. *Actio quæ hîc competit, datur heredi.* d. §. Item,3.hîc.

18. *Actio quæ hîc competit, non datur adversus heredem.* d. §. Item.3.hîc.

DE ACTIONIBUS.

TITUL. VI.

SUpereſt, ut de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud eſt, quàm jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur. 1. ¶ Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud judices arbitrósve, de quacunque re quæritur ſumma diviſio in duo genera deducitur, aut enim in rem ſunt, aut in perſonam. Namque agit unuſquiſque aut cum eo, qui ei obligatus eſt, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo caſu proditæ ſunt a-

ctiones in personam, per quas intendit adversariũ ei dare aut facere oportere, & aliis quibusdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen alicui de aliqua re controversiam. Quo casu proditæ actiones in rem sunt: veluti si rem corporalem possideat quis, quam Titius suam esse affirmet, possessor autem dominum eius se esse dicat, nam si Titius suam esse intendat: in rem actio est.

2. ¶ Æquè si agat [quis], jus sibi esse fundo fortè vel ædibus utendi fruendi, vel per fundum vicini eundi agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi: in rem actio est. Eiusdem generis est actio de jure prædiorum urbanorum: veluti si [quis] agat jus sibi esse altiùs ædes suas tollendi prospiciendíve, vel projiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contrà quoque de usufructu, & de servitutibus prædiorum rusticorum, item prædiorum urbanorum, invicem quoq; proditæ sunt actiones: ut si quis intendat jus non esse adversario utendi fruendi, eundi agendi, aquámve ducendi, item altiùs tollendi prospiciendíve, vel projiciendi immittendíve: istæ quoque actiones in rem sunt, sed negativæ. Quod genus actionis in controversiis rerum corporalium proditũ non est. Nam

in

in his agit, qui non possidet: ei v. qui possidet, non est actio prodita, per quam neget, rem actoris esse. Sanè uno casu qui possidet, nihilominus [is] actoris partes obtinet, sicut in latioribus Digestorum libris opportuniùs apparebit. 3. ¶ Sed istæ quidem actiones, quarum mentionem habuimus, & si quæ sunt similes, ex legitimis & civilib. causis descendunt. Aliæ autem sunt, quas prætor ex sua jurisdictione comparatas habet, tam in rem, quàm in personam, quas & ipsas necessarium est exemplis ostendere. [Ut] ecce, plerumq; ita permittit [prætor] in rem agere, ut vel actor dicat quasi usucepisse, quod non usuceperit: vel ex diverso possessor dicat, adversarium suum non usucepisse, quod usuceperit. 4. ¶ Namque si cui ex justa causa res aliqua tradita fuerit (veluti ex causa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum [&] nec dum eius rei dominus effectus est: si eius rei possessionem casu amiserit, nullam habet in rem directam actionem ad eam persequendam: quippe ita proditę sunt jure civili actiones, ut quis dominiũ suum vindicet. Sed quia sanè durum erat, eo casu deficere actionem: inventa est à prætore actio, in qua dicit is, qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, quam usu non cepit, & ita vindicat suam esse.

Quæ actio Publiciana appellatur, quoniam primum à Publicio prætore in edicto proposita est. 5. ¶ Rursus ex diverso, si quis cum Reipublicæ causa abesset, vel in hostium potestate esset, rem eius, qui in civitate esset, usuceperit: permittitur domino, si possessor Reipublicæ caussâ abesse desierit, tunc intra annum rescissâ usucapione eam petere: id est ita petere, ut dicat, possessorem usu non cepisse, & ob id suam rem esse. Quod genus actionis quibusdam & aliis simili æquitate motus prætor adcommodat, sicut ex latiore Digestorum seu Pandectarum volumine intelligere licet.

6. ¶ Item si quis in fraudem creditorum rem suam alicui tradiderit: bonis eius à creditoribus possessis ex sententia præsidis permittitur ipsis creditoribus, rescissâ traditione, eam rem petere, id est, dicere, eam rem traditam non esse, & ob id in bonis debitoris mansisse. 7. ¶ Item Serviana & quasi Serviana, (quæ etiam hypothecaria vocatur) ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt. Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei renentur. Quasi Serviana autem est, quâ creditores pignora hypothecásve persequuntur. Inter pignus autem & hypothe-

thecam (quantum ad actionem hypothecariam attinet) nihil interest. Nam de qua re inter creditorem & debitorem convenerit, ut sit pro debito obligata: utráque hac appellatione continetur. Sed in aliis differentia est. Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maximè si mobilis sit. At eam quæ sine traditione nudâ conventione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus.

8. ¶ In personam quoque actiones ex sua jurisdictione proposuit prætor: veluti de pecunia constituta, cui similis videbatur receptitia. Sed ex nostra constitutione (cùm [&] si quid plenius habebat, hoc in actionem pecuniæ constitutæ transfusum est) [&] ea quasi supervacua jussa est cum sua auctoritate à nostris legib. recedere. Item prætor proposuit actionem de peculio servorum filiorúmque familiarum: & eam, ex qua quæritur, an actor juravrerit, & alias complures.

9. ¶ De constituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicumq; pro se vel pro alio soluturos se constituerint: nullâ scilicet stipulatione interpositâ. Nam alioqui si stipulanti promiserint, jure civili tenentur.

10. ¶ Actiones autem de peculio, ideò adversus patrem dominúmve comparavit prætor: quia licet ex contractu filiorum servorúmve ipso jure non teneatur: æquum tamen est peculio tenus (quod veluti patrimonium est filiorum filiarúmque, item servorum) condemnari eos.

11. ¶ Item si quis postulante adversario juraverit, deberi sibi pecuniam, quam peteret, neque ei solvatur: justissimè commendat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, sed an juraverit.

12. ¶ Pœnales quoq; actiones prætor multas ex sua jurisdictione introduxit: veluti adversus eum, qui quid ex albo eius corrupisset: & in eum, qui patronum vel parentem in jus vocasset. Cùm id non impetrasset: item adversus eum, qui vi exemerit eum, qui in jus vocaretur, cuiúsve dolo alius exemerit, & alias innumerabiles.

13. ¶ Præjudiciales actiones in rem esse videntur: quales sunt, per quas quæritur, an aliquis liber an libertus sit, vel de partu agnoscendo. Et quibus ferè una illa legitimam causam habet, per quam quæritur, an aliquis liber sit. Cæteræ ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt. 14. ¶ Sic itaq; discretis actionib. certum est, non posse acto-

actorem suam rem ita ab aliquo petere, *Si apret eum dare oportere.* Nec enim quod actoris est, id ei dare oportet: scilicet quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat. Nec res, quæ [jam] actoris est, magis eius fieri potest. Planè odio furũ, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum est, ut extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur: *Si appareat, eos dare oportere*: Quamvis sit adversus eos etiam [hæc] in rem actio, per quam rem suam quis esse petit.

15. ¶ Appellamus autem in rem quidem actiones, vindicationes: in personam verò actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, condictiones. Condicere enim est denunciare priscâ lingvâ. Nunc verò abusivè dicimus, condictionem actionem in personam esse, quâ actor intendit dari sibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit. 16. ¶ Sequens illa divisio est, quod quædam actiones rei persequendæ gratiâ comparatæ sunt, quædam pœnæ persequendæ, quædã mistæ sunt. 17. ¶ Rei persequendæ caussâ comparatæ sunt omnes in rem actiones. Earum verò actionum, quæ in personam sunt, eæ quidem, quæ ex con-

contractu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ caussâ comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam, vel in stipulatum deductam petit actor. Item commodati, depositi, mandati, pro socio, exempto, vendito, locato, conducto. Planè si depositi agatur eo nomine, quod tumultus, incendii, ruinæ, naufragii caussâ depositum sit: in duplum actionem prætor reddit: si modò cum ipso, apud quem depositum sit, aut cum herede eius de dolo ipsius agitur, quo casu mista est actio.

18. ¶ Ex maleficiis verò proditæ actiones, aliæ tantùm pœnæ persequendæ caussâ comparatæ sunt: aliæ tam pœnæ, quàm rei persequendæ, & ob id mistæ sunt. Pœnam tantùm persequitur quis actione furti. Sive enim manifesti agatur quadrupli, sive non manifesti dupli: de sola pœna agitur. Nam ipsam rem propriâ actione persequitur quis, id est, suam esse petens: sive fur ipse eam rem possideat, sive alius quilibet. Eó amplius adversus furem etiam condictio est [rei.]

19. ¶ Vi autem bonorum raptorum actio, mista est: quia in quadruplo rei persecutio continetur: pœna autem tripli est. Sed & legis Aquiliæ actio de damno injuria [dato,] mista est: non solùm si adversus infitiantem in du-

duplum agatur, sed interdum & si in simplum quisque agat: veluti si quis hominem claudum aut luscum occiderit, qui in eo anno integer & magni pretii fuerit: tanti enim damnatur, quanti is homo eo in año plurimi fuerit secundum jam traditam divisionem. Item mista est actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis, legati vel fideicommissi nomine, dare distulerunt: usque adeò ut etiam in judicium vocarentur. Tunc enim & ipsam rem vel pecuniam, quæ relicta est, dare compelluntur, & aliud tantùm pro pœna, & ideò in duplum eius fit condemnatio.

20. ¶ Quædam actiones mistam causam obtinere videntur, tam in rem, quàm in personam, qualis est familiæ erciscundæ actio, quæ competit coheredibus de dividenda hereditate. Item communi dividendo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, ut id dividatur. Item finium regundorum actio, qua inter eos agitur, qui confines agros habent. In quibus tribus judiciis permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adjudicare: & si unius pars prægravari videbitur, eum invicem certâ pecuniâ alteri condemnare. 21. ¶ Omnes autem actiones, vel in simplum conceptæ

sunt,

sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum, ulterius autem nulla actio extenditur. 22. ¶ In simplum agitur: veluti ex stipulatione, & mutui datione, ex empto, vendito, locato conducto, mandato, & denique ex aliis quamplurimis causis. 23. ¶ In duplum agimus: veluti furti nec manifesti, damni injuriæ, ex lege Aquilia, depositi ex quibusdam causis. Item servi corrupti: quæ competit in eum, cuius hortatu consilióve servus alienus fugerit, aut contumax adversus dominum factus est, aut luxuriosè vivere cœperit, aut deniq; quolibet modo deterior factus sit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo servus abstulerit, æstimatio deducitur. Item ex legato, quod venerabilibus locis relictum est secundum ea, quę suprà diximus.

24. ¶ Tripli verò [agimus], cùm quidam majorem verâ æstimatione quantitatem in libello conventionis inserunt, ut ex hac causa viatores, id est, executores litium, ampliorem summam sportularũ nomine exigerent. Tunc enim id, quod propter eorum causam damnum passus fuerit reus, [in] triplum ab actore consequetur, ut in hoc triplo etiâ simplum, in quo damnum passus est, connumeretur. Quod nostra constitutio introduxit, quæ

quæ in nostro Codice fulget, quam procul dubio certum est ex lege condictitiria emanare. 25. ¶ Quadrupli autem agitur, veluti furti manifesti. Item de eo, quod metus caussâ factum sit, déque ea pecunia, quæ in hoc data sit, ut is, cui datur calumniæ caussâ, negociũ alicui faceret, vel non faceret. Item ex lege conductitia nostra constitutio oritur, in quadruplum condemnationem imponens iis executionibus litium, qui contra nostræ constitutionis normam à reis quicquam exegerint. 26. ¶ Sed furti quidem nec manifesti actio, & servi corrupti, à cæteris, de quibus simul locuti sumus, eò differunt, quòd hę actiones omnimodo dupli sunt. At illæ id est, damni injuriæ ex lege Aquilia, & interdum depositi, inficiatione duplicantur, in confitentem autem in simplum dantur. Sed illa, quæ de his competit, quæ relicta venerabilibus locis sunt, non solùm inficiatione duplicatur, sed etiam si distulerit relicti solutionem usquequò jussu magistratuum [nostrorum] conveniatur. In confitentem verò, antequam jussu magistratuum conveniatur, solventem simpli redditur.

27. ¶ Item, actio de eo, quod metus caussâ factum sit, à cæteris, quibus simul locuti sumus, eo differt: quod eius natura tacitè con-

continetur, ut qui judicis jussu ipsam rem actori restituat, absolvatur, quod in cæteris casibus non est ita: sed omnimodo quisq; in quadruplum condemnatur, quod est & in furti manifesti actione.

28. ¶ Actionum autem quædam bonæ fidei sunt: quædam stricti juris. Bonæ fidei sunt hæ: ex empto, vendito, locato, conducto, negociorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communi dividendo præscriptis verbis, quæ de æstimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit, hereditatis petitio. Quamvis enim usq; adhuc incertum erat, inter bonæ fidei judicia connumeranda hereditatis petitio esset, an non: nostra tamen constitutio apertè eam esse bonæ fidei disposuit.

29. ¶ Fuerat antea & rei uxoriæ actio una ex bonæ fidei judiciis: sed cùm pleniorè esse ex stipulatu actionem invenientes, omne jus quod res uxoria antea habebat, cum multis divisionibus in actionem ex stipulatu, quæ de dotibus erigendis proponitur, transtulerimus, meritò rei uxoriæ actione sublata ex stipulatu [actio], quæ pro ea introducta est, naturam bonæ fidei judicii tantùm in exactione dotis meruit, ut bonæ fidei sit. [Sed] & ta-

& tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem aliis creditoribus in hypothecis, tunc censuimus, cùm ipsa mulier de dote sua experiatur, cuius solius providentiâ hoc induximus. 30. ¶ In bonæ fidei judiciis libera potestas permitti videtur judici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat. In quo & illud continetur, ut si quid invicem præstare actorem oporteat: eo compensato, in reliquum is, cum quo actum est, debeat condemnari. Sed & in stricti juris judiciis ex rescripto divi Marci opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. Sed nostra constitutio easdem compensationes, quæ jure aperto nituntur, latius introduxit, ut actiones ipso jure aperto minuant, sive in rem, sive in personam, sive alias quascunque: exceptâ solâ depositi actione cui aliquid compensationis nomine opponi, sanè credidimus: ne sub prætextu compensationis rerum quis ex actione defraudetur.

31. ¶ Præterea quasdam actiones arbitrias, id est, ex arbitrio judicis pendentes appellamus, in quibus, nisi arbitrio judicis is, cum quo agitur, actori satisfaciat: veluti rem restituat vel exhibeat, vel solvat, vel ex noxali causa servum dedat: condemnari debeat. Sed istæ actiones tam in rem, quam in per-

sonam inveniuntur. In rem, veluti Publiciana, Serviana de rebus coloni, quasi Serviana, quæ etiã hypothecaria vocatur. In personam, veluti quibus de eo agitur: quod vi aut metus caussâ, aut dolo malo factũ est. Item cùm id, quod certo loco promissum est, petitur. Ad exhibendum quoque actio ex arbitrio judicis pendet. In his enim actionib. & cæteris similibus permittitur judici ex bono & æquo secundum cuiusque rei, de qua actum est, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat. 32. ¶ Curare autem debet judex, ut omninò, quantũ possibile ei sit, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat: etiamsi de incerta quantitate apud eum actũ est. 33. ¶ Si quis agens, [in] intentione suâ plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat: à causa cadebat, id est, rem amittebat: nec facilè integrum restituebatur à prætore, nisi minor erat vigintiquinque annis. Huic enim sicut in aliis causis causâ cognitâ succurrebatur, si lapsus juventute fuerat: ita & in hac causa succurri solitũ erat. Sanè si tam magna causa justi erroris interveniebat, ut etiam constantissimus quisque labi posset, etiam majori vigintiquinq; annis succurrebatur, veluti si quis totum legatum petierit: pòst deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati ademta

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0502
DFG

emta sit, aut quibusdam aliis legata data sint, quæ efficiebant, ut plus petiisse videretur petitor, quàm dodrantem, atq; ideò lege Falcidiâ legata minuebantur. [Plus autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, & causâ. Re: veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut si is, cuius ex parte res est, totam eam vel majorem partem suam esse intenderit. Tempore: veluti si quis ante diem, vel ante conditionẽ petierit. Quâ enim ratione, qui tardiùs solvit, quàm solvere deberet, minus solvere intelligitur, eâdem ratione: qui præmaturè petit, plus petere videtur. Loco plus petitur: veluti cùm quis id, quod certo loco sibi [dari] stipulatus est, alio loco petit, sine commemoratione illius loci, in quo sibi dari stipulatus est: verbi gratiâ, si is, qui ita stipulatus fuerit: *Ephesi dare spondes?* Romæ purè intendat sibi dari oportere. Ideò autem plus petere intelligitur: quia utilitatem, quam haberet promissor, si Ephesi solveret, adimit ei purâ intentione. Propter quâ causam alio loco petenti arbitraria actio proponitur: in quâ scilicet ratio habetur utilitatis, quæ promissori competitura fuisset, si illo loco solveret, quo se soluturum spopondit. Quæ utilitas plerunque in mercibus maxima invenitur; veluti, vino, oleo, fru-

mento: quæ per singulas regiones diversa habent precia. Sed & pecuniæ numeratæ non in omnibus regionibus sub eisdem usuris fœnerantur. Si quis tamen Ephesi petat, id est, eo loco petat, quo ut sibi detur, stipulatus est: pura actione rectè agit: idque etiam prætor monstrat: scilicet quia utilitas solvendi salva est promissori. Huic autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus est is, qui caussâ plus petit. Ut ecce, si quis ita à te stipuletur, *hominem Stichum, aut decem aureos dare spondes?* Deinde alterum petat, veluti hominem tantùm, aut decem aureos tantùm. Ideò autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis promissoris est electio, utrum pecuniam, an hominem solvere malit. Qui igitur pecuniam tantùm, vel hominem tantùm sibi dari oportere intendit, eripit electionem adversario: & eo modo suam quidem conditionem meliorẽ facit, adversarii verò [sui] deteriorem. Qua de causa talis in ea re prodita est actio, *ut quis intendat hominem Stichum, aut aureos decem sibi dari oportere*: id est, ut eodem modo peteret, quo stipulatus est. Præterea, si quis generaliter hominem stipulatus sit, & specialiter Stichum petat: aut generaliter vinum stipulatus sit, & specialiter campanum petat: aut generaliter purpuram stipula-

pulatus sit, deinde specialiter Tyriam petat: plus petere intelligitur: quia electionem adversario tollit, cui stipulationis jure liberum fuit, aliud solvere, quàm quod peteretur. Quin etiam, licet utilissium sit, quod quis petat: nihilominus plus petere intelligitur: quia sæpé accidit, ut promissori facilius sit illud solvere, quod majoris pretii est. Sed hæc quidé antea in usu fuerant: postea verò lex Zenoniana & nostra rem coarctavit. Et siquidem tempore plus fuerit petitum: quod statui oporteat, Zenonis divæ memoriæ loquitur constitutio: Sin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum: [in]omne, si quod fortè damnum ex hac causa acciderit ei, contra quem plus petitum fuerit, commissa tripli condemnatione (sicuti suprà diximus) puniatur.

34 ¶ Si minus in intentione sua complexus fuerit actor, quàm ad eum pertineat: veluti si cùm ei decem [aurei] deberentur, quinque sibi dari oportere intenderit, aut [si] cùm totus fundus eius esset, partè dimidiam suam esse petierit: sine periculo agit. In reliquum enim nihilominus judex adversarium in eodem judicio [ei] condemnat, ex constitutione divæ memoriæ Zenonis. 35. ¶ Si quis aliud pro alio intenderit: nihil eum periclitari placet, sed in eodem judicio, cognitâ

veritate, errorem suum corrigere [ei] permittitur: veluti si is, qui hominem Stichum petere deberet, Erotem petierit: aut si quis ex testamẽto dari sibi oportere intenderit, quod ex stipulatu debetur. 36. ¶ Sunt præterea quædam actiones, quibus non [semper] solidum, quod nobis debetur, persequimur, sed modò solidum persequimur, modò minus. Ut ecce, si in peculium filii servive agamus. Nam si non minùs in peculio sit, quam persequimur: in solidum dominus patérve condemnatur: si verò minus inveniatur: eatenus condemnat judex, quatenus in peculio sit. Quemadmodum autem peculium intelligi debeat, suo ordine proponemus. 37. ¶ Item si de dote [in] judicio mulier agat: placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit, id est, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque si dotis quantitati concurrant facultates eius, in solidũ damnatur: si minus in tantum, quantum facere potest. Propter retentionem quoque dotis repetitio minuitur. Nam ob impensas in res dotales factas meritò [quasi] retentio concessa est: quia ipso jure necessariis sumptibus dos minuitur, sicut ex lationibus Digestorum libris cognoscere licet. 38. ¶ Sed & si quis cum parente suo patrónve agat: item si socius cum

cum socio, judicio societatis agat: non plus actor consequitur, quàm adversarius eius facere potest. Idem & siquis ex donatione sua conveniatur. 39. ¶ Compensationes quoq; oppositæ, plerunq; efficiunt: ut minus quisq; consequatur, quàm ei debeatur. Nam ex bono & æquo habitâ ratione eius, quod invicem actorem, & ex eadem causa præstare oportet, in reliquum eum, cum quo actum est [condemnat] sicut jam dictũ est. 40. ¶ Cùm eo quoq; qui creditoribus suis bonis cessit, si postea aliquid acquisierit, quod idoneum emolumentum habeat: ex integro in id, quod facere potest, creditores experiuntur. Inhumanum enim erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari.

REGULÆ JURIS ex Titul. VI. excerptæ.

1. *Per actionem semper aliquid persequimur in judicio.* Princ. hîc.

2. *Qui tum aliquo agit, qui ei obligatus est, in personam agit.* §. Omnium. 1. hîc.

3. *Qui alicui de aliqua re movet controversiam, in rem agit,* d. §. Omnium. 1. hîc.

4. *De re corporali persequenda est rei vindicatio.* d. §. Omnium. 1. hîc.

5. De rebus incorporalibus datur actio in rem, eaque tùm confessoria, tùm negatoria. §. Æquè. 2. hîc.

6. Actio negatoria in controversiis rerum corporalium non datur. d. §. Æquè. 2. hîc.

7. In controversiis rerum corporalium qui agit, non possidet. d. §. Æquè 2. hîc.

8. Actiones civiles ex legitimis & civilibus causis descendunt. §. Sed istæ. 3. hîc.

9. Actiones prætoriæ ex prætoris jurisdictione prodeunt. d. §. Sed istæ. 3. hîc.

10. Exemplis res ostenditur. d. §. Sed istæ. 3. hîc.

11. Qui usucepit, est possessor in rescissoria actione. d. §. Sed istæ. 3. hîc.

12. Publiciana datur bonæ fidei possessori ob amissam possessionem. §. Namq. 4. hîc.

13. Bonæ fidei possessori jure civili non poterat dari actio in rem. d. §. Namq. 4. hîc.

14. Durum est nullâ rem suam consequi posse actione. d. §. Namq. 4. hîc.

15. Publiciana agitur, ut res dicatur esse nostra d. §. Namq. 4. hîc.

16. Rescissoria datur contra possessorem. §. Rursus. 5. hic.

17. Rescissoria datur ei, qui dominus fuit. d. §. Rursus. 5. hîc.

18. Re-

18. *Rescissoria est annua.* dict. §. Rursus. 5. hîc.

19. *Iniquum est, absenti Reipublicæ caussâ in rebus suis præsentiam nocere.* dict. §. Rursus. 5. hîc.

20. *Pauliana præsupponit alienationem in fraudem creditorum factam.* §. Item si quis. 6. hîc.

21. *Pauliana datur creditoribus.* d. §. Item si quis. 6. hîc.

22. *Pauliana datur adversus possessorem.* d. §. Item si quis. 6. hîc.

23. *Creditoribus contra fraudem debitorum consulendum est* d. §. Item si quis. 6. hîc.

24. *Serviana est de rebus coloni domino oppignoratis* §. Item Serviana. 7. hîc.

25. *Quasi Serviana datur creditoribus, ut illa pignora hypothecásve persequantur.* d. §. Item Serviana. 7. hîc.

26. *Res pro diversis materiis diversimodè etiam accipiuntur.* d. §. Item Serv. 7. hîc. *ibi*: Quantum ad actionem hypothecariam.

27. *In personas actiones ex sua jurisdictione propositas etiam habet prætor.* §. In personam. 8. hîc.

28. *Actio de constituto est in personam.* §. In personam. 8. hîc.

29. *Grave est fidem fallere.* d. § In personam. 8. h. c.

30. *De constituta pecunia cum omnibus agitur, quicunq; pro se vel pro alio soluturos se constituerint* §. De constituta. 9. h. c.

31. *Actio de peculio est in personam.* §. Actiones. 10. hîc.

32. *Ex contractu filiorum servorumve pater aut dominus non tenetur.* §. Actiones. 10. hîc.

33. *Æquum est, ut à quo quis commodum sentit, ab eodem quoq; incommodum sentiat.* d. §. Actiones. 10. hîc.

34. *Actio de peculio datur ei, qui cum filio aut servo contraxit.* §. Actiones. 10. hîc.

35. *Actio de peculio datur adversus patrem vel servum.* d. §. Actiones. 10. hîc.

36. *Actio ex jurejurando est in personam.* §. Item si quis. 11. hîc.

37. *Actio ex jurejurando est prætoria.* §. Item si quis. 11. hîc.

38 *Actio de jurejurando datur ei, qui juravit postulante adversario.* d. §. Item si quis. 11. hîc.

39. *Ob reverentiam juris jurandi non quæritur in hac actione amplius, an pecunia debeatur, sed an juraverit.* d. §. Item. 11. hîc.

40. *In actionibus hisce distinctis non potest una adhiberi formula.* §. Sic itaque. 14. hîc.

41. *Quod*

41. *Quod actoris est, id ei dari non oportet.* d. §. Sic itaque. 14. hîc.

42. *Dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat.* d. §. Sic itaque. 14. hîc.

43. *Res, quæ jam actoris est, magis eius fieri non potest.* d. §. Sic itaq; 14. hîc.

44. *Odio furum plures actiones introductæ sunt* d. §. Sic itaq; 14. hîc.

45. *Omnes in rem actiones rei persequendæ causâ comparatæ sunt.* Rei persequendæ causa 17. hîc.

46. *Actiones in personam, quæ ex contractu nascuntur, ferè omnes rei persequendæ causâ comparatæ sunt.* d. §. Rei persequendæ. 17. hîc.

47. *Depositi actio certis casibus fit mixta.* d. §. Rei persequendæ 17. hîc.

48. *Actio depositi mixta non datur in heredem ex dolo defuncti.* d. §. Rei persequendæ. 17. hîc.

49. *Ex maleficiis ortæ actiones quandoq; pœnam, quandoq; pœnam & rem unà persequuntur.* §. Ex maleficiis. 18. hîc.

50. *Actione furti pœnam quis tantùm persequitur.* d. §. Ex maleficiis. 18. hîc.

51. *Domino ad rem furtivam repetendam datur condictio furtiva contra furem, vel eius heredem tantùm.* §. Ex maleficiis. 18. hîc.

52. *Vi*

52. *Vi bonorum raptorum actio mixta est.* §. Vi autem. 19. hîc.

53. *In actione vi bonorum raptorum in quadruplo rei persecutio continetur.* d. §. Vi autem. 19. hîc.

54. *Legis Aquiliæ actio de damno injuria dato etiam mixta est.* §. Via. 19. hîc.

55. *Actio ex testamento legati vel fideicommissi pii causâ etiam mixta est.* d. §. Vi autem. 19. hîc.

56. *Quædam actiones mixtam causam obtinere videntur.* §. Quædam. 20 hîc.

57. *In actione familiæ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum judici permittitur rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adjudicare.* d. §. Quædam 20. hîc.

58. *Vltra quadruplum nulla extenditur actio.* §. Omnes. 21 hîc.

59. *In actione servi corrupti, etiam rerum, quas servus fugiendo abstulit, æstimatio deducitur.* §. Induplum. 23 hîc.

60. *Actiones pro personarum circumstantiis sæpè etiam variant.* §. Sed fuit. 26 hîc.

61. *Actionis de eo quod metus causâ natura tacitè continetur, ut qui judicis jussu ipsam rem actori restituat, absolvatur.* §. Item actio. 27. hîc.

62. *Actio propter rem uxoriam ex stipulatu est bonæ fidei.* §. Fuerat antea. 29. hîc.

63. *Mu-*

63. *Mulier utens actione de dote, tacitam habet hypothecam, quâ præfertur omnibus aliis creditoribus.* d. §. Fuerat antea. 29. hîc.

64. *In bonæ fidei judiciis libera potestas permitti videtur judici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat* §. In bonæ fidei. 30. hîc.

65. *Olim in judiciis bonæ fidei locus erat compensationi.* §. in bonæ fidei. 30. hîc. Ibi: Hodiè non.

66. *In judiciis tam strictis, quàm aliis hodiè compensatio fit ipso jure.* d. §. In bonæ fidei. 30. hîc.

67. *In depositio compensatio prohibita est.* d. §. In bonæ. 30. hîc.

68. *Sub prætextu compensationis depositarum rerum exactione nemo debet defraudari.* d. §. In bonæ. 30. hîc.

69. *Arbitrariæ actiones ex solius judicis pendent arbitrio.* §. Præterea. 31. hîc.

70. *In arbitrariis nisi judicis arbitrio is, cum quo agitur, actori satisfaciat, condemnandus est.* d. §. Præterea. 31. hîc.

71. *Curare autem debet judex, ut quantum possibile, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat.* §. Curare. 32. hîc.

72. *Non rarò plus quàm debetur, petitur.* §. Si quis agens. 33. hîc.

73. Re

73. Re plus petitur. d. §. Si quis. 33. hic.

74. Et tempore plus petitur. d. §. Si quis. 33. hic.

75. Et loco plus petitur. dict. §. Si quis. 33. hîc.

76. Et causſa plus petitur. d. §. Si quis. 33. hic.

77. In diverſitate loci magna ſæpè eſt utilitas. d. §. Si quis. 33. hic.

78 Merces per ſingulas regiones diverſa habet precia. d. §. Si quis. 33 hîc.

79. In diſiunctivis promiſſoris eſt electio. d. §. Si quis. 33. hic.

80. Sæpè accidit, ut promiſſori facilius ſit illud ſolvere, quod majoris pretii eſt. d. §. Si quis. 33. hîc.

81. Is, qui re, loco, cauſa, plus petit, pœnâ tripli punitur, §. Si quis. 33. in fin. hîc.

82. Si minus in intentione ſua complexus fuerit actor, quam ad eum pertinet, ſine periculo agit. §. Sin minus. 34. hic.

83. Si quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet. §. Si quid aliud. 35. hîc.

84. Non rarò etiam actionibus minus petitur, quàm debetur. §. Sunt præterea. 36. hîc.

85. Si

85. *Si de dote in judicio mulier agat, placet eatenus maritum condemnare, quatenus facere potest*, §. Item si de dote. 37. hîc.

86. *Maritus, si dotis quantitati concurrunt facultates eius, in solidum damnatur, sin minus in tantum, quantum facere potest.* d. §. item si de dote. 37. hîc.

87. *Propter retentionem quoq; dotis repetitio minuitur.* d §. Item. 37. hîc.

88. *Ob impensas in res dotales factas marito retentio concessa est.* dict. §. Item si de dote. 37. hîc.

89. *Ipso jure necessariis sumptibus dos minuitur.* d. §. Item. 37. hîc.

90. *Siquis cum parente patronóve agat, non plus actor consequitur, quàm adversarius facere potest.* §. Sed etsi. 38. hîc.

91. *Si socius cum socio judicio societatis agat, non plus actor consequitur, quàm adversarius eius facere potest* d. §. Sed etsi. 38. hîc.

92. *Si quis ex donatione sua conveniatur, non plus dat, quàm quod facere potest.* d. §. Sed etsi. 38. hîc.

93. *Compensationes oppositæ efficiunt, ut minus quisq; consequatur, quàm ei debetur.* §. Compensationes. 39. hîc.

94. *Nam: ex bono & æquo habitâ ratione eius, quod*

quod invicem actorem & ex eadem causa præstare oportet, in reliquum eum, cum quo actum est, condemnat. d. §. Compensationes. 39. h. c.

95. Cum eo quoq; qui creditoribus suis bonis successit, si postea aliquid acquisierit, ex integro in id, quod præstare potest, creditores experiuntur. §. Cum eo quoque. 40. hîc.

96. Inhumanum erat spoliatum fortunis suis in solidum damnari. dict. §. Cum eo quoque. 40. h. c.

QVOD CVM EO, QVI in alienâ potestate est, negocium gestum esse dicitur.

TIT. VII.

QVia [tamen] superiùs mentionem habuimus de actione, quâ in peculium filiorumfamiliarum servorúmque agitur: opus est, ut de hac actione & de cæteris, quæ eorundem nomine in parentes dominósve dari solent, diligentiùs admoneamus. Et quia cum servis negocium gestum sit, sive cum his, qui in potestate parentum sunt, eadem ferè jura servantur: ne verbosa fiat disputatio,

tio, dirigamus sermonem in personam servi dominique, idem intellecturi de liberis quoque & parentibus, quorum in potestate sunt. Nam si quid in his propriè servetur, separatim ostendemus.

1. ¶ Si igitur jussu domini cum servo negocium gestum erit: in solidum prætor adversus dominum actionem pollicetur: scilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini sequi videtur. 2. ¶ Eâdem ratione prætor duas alias in solidum actiones pollicetur; quarum altera exercitoria, altera institoria appellatur. Exercitoria tunc habet locum cùm quis servum suum magistrum navi præposuerit, & quid cum eo eius rei gratiâ, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideò autem exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad quem quotidianus navis quæstus pertinet. Institoria tunc locum habet, cùm quis tabernæ fortè, aut cuilibet negociationi servum suum præposuerit, & quid cum eo eius rei causa, cui præpositus erit, contractum fuerit. Ideó autem institoria appellatur, quia, qui negociationibus præponuntur, institores vocantur. Istas tamen duas actiones prætor reddit, & si liberum quis hominem, aut alienum servum navi aut tabernæ, aut cuilibet negociationi præposuerit: scili-

cet quia eadem æquitatis ratio ex eo casu interveniat. 3. ¶ Introduxit & aliam actionem prætor, quæ tributoria vocatur. Namq; si servus in peculiari merce sciente domino negocietur, & quid cum eo eius rei caussâ contractum erit, ita prætor jus dicit, ut quicquid in his mercibus erit, quódq; inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debebitur, & cæteros creditores, pro rata portione distribuatur, & [ideò tributoria vocatur,] quia ipsi domino distributionem prętor permittit. Nam si quis ex creditoribus queratur quasi minùs ei tributum sit, quàm oportuerit, hanc ei actionem adcommodat, quæ tributoria appellatur.

4. ¶ Præterea introducta est actio de peculio, déque eo, quod in rem domini versum erit: ut quamvis sine voluntate domini negocium gestũ erit, tamen sive quid in rem eius versum fuerit, in totum præstare debeat: sive quid non sit in rem eius versum, id eatenus præstare debeat, quatenus peculium patitur. In rem autem domini versum intelligitur, quicquid necessariò in rem eius impenderit servus: veluti si mutuatus pecuniam creditoribus eius solverit, aut ædificia ruentia fulserit, aut familiæ frumentũ emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliã rem necessariam

mer

mercatus erit. Itaq; si ex decem, puta aureis, quos servus tuus á Titio mutuo accepit, creditori tuo quinque aureos solverit, reliquos verò quinqüe quolibet modo consumpserit: pro quinque [quidem] in solidum damnari debes: pro cæteris verò quinq; eatenus, quatenus in peculio sit. Ex quo scilicet apparet, si toti decem aurei in rem tuam versi fuerint, totos decem aureos Titium consequi posse. Licet enim una est actio, quâ de peculio, déq; eo, quod in rem domini versum sit, agitur: tamen duas habet condemnationes. Itaque judex, apud quem de ea actione agitur, ante dispicere solet, an in rem domini versum sit: nec aliter ad peculii æstimationem transit, quàm aut nihil in rem domini versum intelligatur, aut non totum. Cùm autem quæritur, quantum in peculio sit: ante deducitur, quicquid servus domino, eíve, qui in potestate eius sit, debet: & quod supereſt, id solum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod et debet servus, qui in potestate domini sit, non deducitur ex peculio: velut si is in ipsius peculio sit. Quod eò pertinet, ut si quis vicario suo servus debeat: id ex peculio eius non deducatur.

5. ¶ Cæterùm, dubium non est, quin is quoq; qui jussu domini contraxerit, cuiq; in-

stitoria vel exercitoria actio competit: de peculio, déq; eo, quod in rem domini versũ est, agere possit. Sed erit stultissimus, si omissâ actione, quâ facillimè solidum ex contractu consequi possit: se ad difficultatem perducat probandi in rem domini versũ esse, vel habere servum peculium & tantũ habere, ut solidum sibi solvi possit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æquè de peculio & de in rem verso agere potest. Sed sanè huic modò tributoria expedit agere, modò de peculio & de in rem verso. Tributoria ideò expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non est, id est, quod domino debetur, non deducitur, sed eiusdem juris est dominus: cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio ante deducitur, quod domino debetur: & in id, quod reliquum est, creditori dominus condemnatur. Rursus de peculio ideó expedit agere, quod in hac actione totius peculii ratio habetur. At in tributoria, eius tantùm, quo negociatur. Et potest quisque tertiâ forte parte peculii, aut quartâ, vel etiam minimâ negociari: majorem autem partem in prædiis, vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergò expedit, ita quisque vel hanc actionem vel illam eligere debet. Certè qui potest probare in rem domini

mini versum esse: de in rem verso agere debet.

6. ¶ Quæ diximus de servo & domino, eadem intelligimus & de filio & filia, & nepote & nepte, & patre avóve, cuius in potestate sunt. 7. ¶ Illud propriè servatur in eorum persona, quod Senatusconsultum Macedonianum prohibuit mutuas pecunias dare eis, qui in potestate parentis sunt, & ei, qui crediderit, denegatur actio tam adversus ipsum filium filiámve, nepotem neptémve, (sive adhuc in potestate sint, sive morte parentis, vel emancipatione suæ potestatis esse cœperint) quàm adversus patrem avúmve: sive eos habeat adhuc in potestate, sive emancipaverit. Quæ ideò Senatus prospexit, quia sæpè onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quos in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur.

8. ¶ Illud in summa admonendi sumus, id quod jussu patris dominíve contractum fuerit, quódque in rem eius versum erit: directò quoque posse á patre dominóve condici, tanquam si principaliter cum ipso negocium gestum esset. Et quoque, qui exercitoriâ vel institoriâ actione tenetur, directò posse condici placet: quia huius quoque jussu contractum intelligitur.

REGULÆ JURIS ex Tit. VII. excerptæ.

1. *Quorum obiter facta est mentio, illa diligentiùs post explicanda sunt.* Princ. hîc.

2. *Ubi eadem ferè jura servantur, verbosa non est instituenda disputatio.* Pr. hîc.

3. *Jura propria separatim etiam ostendenda sunt.* d. princ. hîc.

4. *Actio quod jussu, est prætoria.* Si igitur. 1. hîc.

5. *Actio quod jussu, oritur ex contractu servi ex jussu domini.* d. §. Si igitur. 1. hîc.

6. *Actio quod jussu datur adversus dominum.* d. §. Si igitur. 1. hîc.

7. *Actio quod jussu datur in solidum.* d. §. Si igitur. 1. hîc.

8. *Is, qui cum servo contrahit, fidem domini sequi videtur.* d. §. Si igitur. 1. hîc.

9. *Exercitoria actio datur in solidum.* §. Eadem. 2. hîc.

10. *Exercitoria actio est prætoria.* d. §. Eadem. 2. hîc.

11. *Exercitoria actio est de rebus maritimis.* d. dem. 2. hîc.

12. *Exercitoria actio nascitur ex contractu servi,*

vi, ut & liberi hominis, à domino navi præpoſito. d. §. Eadem. 2. hîc.

13. *Inſtitoria eſt actio prætoria.* d. §. Eadem. 2. hîc.

14. *Inſtitoria datur in ſolidum.* d. §. Eadem. 2. hîc.

15. *Inſtitoria actio naſcitur ex contractu ſervi à domino tabernæ, vel cuilibet negociationi præpoſiti.* d. §. Eadem. 2. hîc.

16. *Vbi eadem æquitatis ratio, ibi idem valet jus.* d. §. Eadem. 2. hîc.

17. *Tributoria eſt actio prætoria.* §. Introduxit. 3. hîc.

18. *Tributoria naſcitur ex contractu ſervi in merce peculiari ſciente domino cum extraneo facto.* d. §. Introduxit. 3. hîc.

19. *Tributoria actio inſtituitur, ut æqualis fiat diſtributio inter dominum ſervi, & eum, qui cum ſervo contraxit.* d. §. Introduxit. 3. hîc.

20. *In caſu, quo ſervus ſciente domino fuit negociatus, dominus non habet privilegium deductionis.* §. Præterea. 4. hîc.

21 *Actio de peculio eſt prætoria.* d. §. Præterea. 4. hîc.

22. *Actio de in rem verſo datur creditori ſervi contra dominum verſi.* dict. §. Præterea. 4. hîc.

23. *Actio de in rem verso mox datur in solidum: mox non datur.* d. §. Præterea. 4. hîc.

24 *Quicquid necessarium in rem domini impenditur, id in rem eius versum esse intelligitur.* §. Præterea. 4. hîc.

25. *Stultissimum est, difficiliorem eligere actionem.* §. Cæterùm. 5. hîc.

26. *Melius est agere de in rem verso, quàm dictis actionibus aliis.* d. §. Cæterùm. 5. hîc.

27. *SCtum hoc in commodum filiorum est introductum.* §. Illud. 7. hîc.

28. *Quod contra bonos mores est, meritò amovetur.* §. Illud. in fin. 7. hîc.

29. *Quod jussu patris dominive contractum fuerit, directò quoq; potest à patre dominóve condici.* §. Illud. 8. hîc.

30. *Ei, qui exercitoriâ vel institoriâ actione tenetur, directò potest condici.* dict. §. Illud. 8. h. c.

DE NOXALIBUS actionibus.

Tit. VIII.

EX maleficiis servorum: veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut da-

damnum dederint, aut injuriam commiserint, noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur, aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere.

1. ¶ Noxa autem est [ipsum] corpus quod nocuit, id est, servus: noxia ipsum malefi cium, veluti furtum, damnum, rapina, injuria. 2. ¶ Summâ autem ratione permissum est noxæ deditione fungi. Namque erat iniquum, nequitiam eorum ultra ipsorum corpora dominis damnosam esse. 3 ¶ Dominus noxali judicio servi sui nomine conventus, servum actori noxæ dedendo liberatur: nec minus in perpetuum eius servi dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei cui deditus est, [servus] resarcierit quæsitâ pecuniâ: auxilio prætoris invito domino manumittetur.

4. ¶ Sunt autem constitutæ noxales actiones aut legibus, aut edicto prætoris. Legibus: veluti furti ex lege duodecim tabularum, damni injuriæ ex lege Aquilia. Edicto prætoris: veluti injuriarum, & vi bonorum raptorum. 5. ¶ Omnis autem noxalis actio caput sequitur. Nam si servus tuus noxam commiserit: quamdiu in tua potestate sit, tecum est actio. Si autem in alterius

potestatem pervenerit: cum illo incipit actio esse. At si manumissus fuerit, directo ipse tenetur, & extingvitur noxæ deditio. Ex diverso quoque directa actio noxalis esse incipit. Nam si liber homo noxiam commiserit, & is servus tuus esse cœperit (quod quibusdam casibus effici, primo libro tradidimus) incipit tecum esse noxalis actio, quæ ante directa fuisset.

6. ¶ Si servus domino noxiam commiserit: actio nulla nascitur. Namq; inter dominum & eum, qui in potestate eius, nulla obligatio nasci potest. Ideóq; & si in alienam potestatem servus pervenerit, aut manumissus fuerit: neque cum ipso, neque cum eo, cuius nunc in potestate sit, agi potest. Unde & alienus servus noxiam tibi commiserit, & is postea in potestate tua esse cœperit, interdicitur actio: quia in eum casum deducta sit, in quo consistere non potuit. Ideóq; licet exierit de tua potestate, agere non potes: quemadmodum si dominus in servum suum aliquid commiserit, nec si manumissus aut alienatus fuerit, servus ullam actionem contra dominum habere potest.

7. ¶ Sed veteres quidem hoc in filiisfamiliarum masculis & fœminis admisere: nova autem hominum conversatio huiusmodi aspe-

asperitatem rectè respuendam esse existimant, & ab usu communi hoc penitùs recessit. Quis enim patiatur filium suum, & maximè filiam, in noxâ alii dare: ut penè per [filii] corpus pater magis, quàm filius periclitetur: cum filiabus etiam pudicitiæ favor hoc benè excludat? Et ideó placuit in servos tantummodo noxales actiones esse proponendas? Cùm apud veteres legum commentatores invenerimus sæpiùs dictum, ipsos filiosfamiliarum pro suis delictis posse conveniri.

REGULÆ JURIS ex Tit. VIII. excerptæ.

1. Ex *maleficiis servorum noxales proditæ sunt actiones.* Princ. hîc.

2. *In noxalibus actionibus domino permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere.* Princ. hîc.

3. *Noxæ deditione fungi æquissimum est.* §. Summa. 2. hîc.

4. *Iniquum est, nequitiam servorum ultra ipsorum corpora dominis damnosam esse.* d. §. Summa. 1. hîc.

5. *Dominus noxali judicio servi sui nomine* con-

conventus, servum actori noxæ dedendo liberatur. §. Dominus. 3. hîc.

6. Servi noxæ dediti dominium, in perpetuum à domino transfertur. dict. §. Dominus. 3. hîc.

7. Servus ei, cui deditus est, quæsita pecunia resarciens, auxilio prætoris invito domino manumittitur. §. Dominus. 3. hîc.

8. Noxales actiones partim legibus, partim edicto prætoris constitutæ sunt. §. Sunt autem. 4. hîc.

9. Omnis noxalis actio caput sequitur. § Omnis. 5. hîc.

10. Servo, qui noxiam dedit, vel alienato, vel manumisso statim dominus liberatur. d. §. Omnis. 5. hîc.

11. Cùm servus in alterius potestatem pervenerit, cum illo incipit esse actio. d. §. Omnis. 5. hîc.

12. Si servus manumissus fuerit, directò ipse tenetur, & extingvitur noxæ deditio. d. §. Omnis. 5. hîc.

13. Si liber homo noxiam commiserit, & servus esse cœperit, cum domino noxalis erit actio. d. §. Omnis. 5. hîc.

14. Si servus domino noxiam commiserit, actio nulla nascitur. §. Si servus. 6. hîc.

15. Inter dominum, & eum, qui in potestate eius est,

est, nulla obligatio nasci potest. d. §. Si servus. 6. hîc.

16. *Si alienus servus noxiam commiserit, & postea in potestate eius fuerit, interdicitur actio.* d. §. Si servus. 6. hîc.

17. *Res in eum casum deducta, in quo consistere non potest, exspirat.* dict. §. Si servus. 6. hîc.

18. *Noxæ deditio in filiifamilias non valet.* §. Sed veteres. 7. hîc.

19. *Iniquum est patrem puniri per corpus filii.* § Sed veteres. 7. hîc.

20. *In filiabus nihil cum pudicitiæ dispendio suscipiendum est.* d. §. Sed veteres. 7. hîc.

21. *Filiifamilias pro suis delictis possunt conveniri.* d. §. Sed veteres. 7. hîc.

SI QVADRUPES pauperiem fecisse dicatur.

TITUL. IX.

ANimalium nomine, quæ ratione carent, si, quâ lasciviâ, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint: noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est. Quæ animalia

malia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum scripta est, ut puta, *Si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus* [cornu] *petierit.* Hæc autem actio in iis, quæ contra naturam moventur, locum habet. Cæterùm si genitalis sit feritas: cessat actio. Denique si ursus fugerit à domino, & sic nocuerit: non potest quondã dominus conveniri, quia desiit dominus esse, ubi fera evasit. Pauperies autem est damnum sine injuria facientis datum: nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinent actionem.

1. ¶ Cæterùm sciendum est, ædilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habere, quâ vulgò iter fit: & si adversus ea factum erit, & nocitum libero homini esse dicatur: quod bonum & æquum judici videtur, tanti dominus condemnetur. Cæterarum [verò] rerum, quanti damni datum sit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

RE-

REGULÆ JURIS
ex Tit. IX. excerptæ

1. *Animalium nomine, quæ ratione carent, noxalis actio l. 12. tab. prodita est.* Prin. hîc.

2. *Animalia, quæ noxiam admiserunt, si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem.* §. princ. hîc.

3. *Actio de pauperie locum habet in iis, quæ contra naturam moventur.* Princ. hîc.

4. *Si genitalis sit feritas, cessat de pauperie actio.* d. princ. hîc.

5. *Pauperies sine injuria datur.* d. pr. hîc.

6. *Non potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret.* d. princ. hîc.

7. *Animalia fera prohibemur ibi habere, qua vulgò iter fit.* §. Cæterùm. 1. hîc.

8. *Quando homini libero nocetur, æstimatio judici permittitur.* §. Cæterùm. 1. hîc.

9. *Extra hominem rebus aliis si nocetur, pœna est dupli.* d. §. Cæterùm. 1. hîc.

10. *Ædilitia & de pauperie actio facile simul locum habere possunt.* §. Cæterùm. 1. hîc.

11. *Nunquam actiones, præsertim pœnales de eadem re concurrentes, alia aliam absumit.* dict. §. Cæterùm. 1. hîc.

DE

DE IIS, PER QVOS agere possumus.

TIT. X.

NUnc admonendi sumus agere, posse quemlibet hominem, aut suo nomine, aut alieno. Alieno: veluti procuratorio, tutorio, curatorio: cùm olim in usu fuisset, alterius nomine agere non posse, nisi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hostiliâ permissum erat furti agere eorũ nomine, qui apud hostes essent, aut Reipublicæ caussá abessent, quíve in eorũ cuius tutela essent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & necessaria peregrinatio, itémque aliæ multæ causæ sæpè hominibus impedimento sunt, quo minus rem suam ipsi exequi possint.

1. ¶ Procurator neque certis verbis, neque præsente [semper] adversario, immò plerunque eo ignorante constituitur. Cuicunque enim permiseris rem tuam agere, aut defendere, is tuus procurator intelligitur.

2. ¶ Tu-

2. ¶ Tutores & curatores, quemadmodum constituantur, primo libro expositum est.

REGULÆ JURIS ex Tit. X. excerptæ.

1. *Agere potest quis & suo & alieno nomine*, Princ. hic.

2. *Homines per procuratores hodiè litigare commodè possunt.* d. pr. hic.

3. *Morbus, ætas, & necessaria peregrinatio, & aliæ causæ sæpè hominibus impedimento sunt, quominus rem suam ipsi exequi possint.* d. princip. hic.

4. *Procurator certis verbis semper non constituitur.* § Procurator. 1. hic.

5. *Procurator præsente semper adversario non constituitur.* d. §. Procurator. 1. hic.

DE SATISDATIONIBUS.

TIT. XI.

SAtisdationum modus alius antiquitati placuit, alium novitas per usum

amplexa est. Olim enim, si in rem agebatur, satisdare possessor compellebatur: ut si victus [esset], nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem, potestas esset petitori, aut cum eo agendi, aut cum fidejussoribus eius. Quę satisdatio appellatur *judicatum solvi*. Unde autem sic appelletur, facilè est intelligere. Namque stipulabatur quis, ut solveretur sibi, quod fuisset judicatum. Multò magis is, qui in rem actione conveniebatur, satisdare cogebatur, si alieno nomine judicium accipiebat. Ipse autem, qui in rem agebat, si suo nomine petebat, satisdare non cogebatur. Procurator verò si in rem agebat: satisdare jubebatur, rem ratam dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores verò & curatores eodem modò, quo & Procuratores satisdare debere, verba edicti faciebant: sed aliquando his agentibus satisdatio remittebatur. Hæc ita erant, si in rem agebatur.

1. ¶ Si vero in personam, ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, quâ in rem agitur. Ab eius verò parte, cum quo agitur, siquidem alieno nomine aliquis interveniret, omnimodò satisdaret, quia nemo defensor in aliena re sine satisdatione idoneus esse creditur, Quod si proprio nomi-

nomine aliquis judicium accipiebat in personam: *judicatum solvi* satisdare non cogebatur. 2. ¶ Sed hodiè hæc aliter observantur. Sive enim quis in rem actione convenitur, sive personali suo nomine: nullâ satisdationem pro litis æstimatione dare compellitur: sed pro sua tantùm persona, quòd in judicio permaneat usq; ad terminum litis, vel committitur suæ promissioni cum jurejurando (quam juratoriam cautionem vocant) vel nudam promissionem, vel satisdationem pro qualitate personæ suæ dare compellitur. 3. ¶ Sin autem per procuratorem lis vel infertur, vel suspicitur, in actoris quidem persona, si non mandatum actis insinuatum est, vel præsens dominus litis in judicio procuratoris sui personam confirmaverit, ratam rem dominum habiturum satisdationè procurator dare compellitur: eodem observando, & si tutor, vel curator, vel aliæ tales personæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt. 4. ¶ Si verò aliquis convenitur: siquidem præsens procuratorem dare paratus est: potest vel ipse in judicium venire, & sui procuratoris personam per *judicatum solvi* satisdationè solenni stipulatione confirmare, vel extra judicium satisdationè expo-

nere, per quam ipse sui procuratoris fidejussor existat pro omnibus *judicatum solvi* satisdationis clausulis, ubi & de hypotheca suarum rerum convenire compellitur: sive in judicio promiserit, sive intra judicium caverit: ut tam ipse, quàm heres eius obligentur. Aliâ insuper tutelâ vel satisdatione propter personam ipsius exponenda, quod tempore sententiæ recitandæ in judicium veniet: vel si non venerit, omninò dabit fidejussor, quæ in condemnatione continentur, nisi fuerit provocatum.

5. ¶ Si verò reus præsto ex quacunq; causa non fuerit, & alius velit defensionem eius subire: nullâ differentiâ interactiones in rem vel personales introducendâ potest hoc facere: ita tamen, ut satisdationem *judicatum solvi*, pro litis æstimatione præstet. Nemo enim secundum veterem regulam (ut jam dictum est) alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur. 6. ¶ Quæ omnia apertiùs & perfectiùs à quotidiano judiciorum usu in ipsis rerum documentis apparent.

7. ¶ Quam formam non solùm in hac regia urbe, sed [etiam] in omnibus nostris provinciis (etsi propter imperitiâ forté aliter celebratur) obtinere censemus: quum necesse sit, omnes provincias caput omnium nostrarum

rum civitatum, id est, hanc regiam urbem eiusque observantiam sequi.

REGULÆ JURIS ex Titul. XI. excerptæ.

1. *Quæ antiquitati placuerunt, sæpè pro usu novitas rejecit*, Princ. hîc.

2. *Differentia, quoad satisdationes in actionibus in rem & personam hodiè sublata est.* d. princip. hîc.

3. *Actor, qui suo nomine litigat, hodiè planè non satisdat.* §. Sed hodiè. 2. hîc.

4. *Reus qui suo nomine litigat, non satisdat, sed tantùm cavet pro lite prosequenda.* d. §. Sed hodiè 2. hîc.

5. *Procurator actoris satisdat de rato, nisi factus est apud acta coràm magistratu, aut si dominus præsens fuerit.* §. Sin autem. 3. hîc.

6. *Reus si præsens procuratorem dare paratus est, potest sui procuratoris personam per judicatum solvi satisdationem confirmare, vel extra judicis satisdationem exponere.* §. Si v. 4. hîc.

7. *Procurator rei etiam apud acta factus, satisdare cogitur.* d. §. Si verò. 4. hîc.

8. *Reus cogitur non tantùm fidejussorem, sed & pignus constituere.* d. §. Si verò. 4. hîc.

9. *Reo absente procurator satisdationem judicatum solvi præstare debet.* §. Si verò reus. 5. hîc.

10. *Nemo alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus esse intelligitur.* d. §. Si verò reus. 5. hîc.

11. *Satisdationum doctrina apertiùs & perfectiùs à quotidiano judiciorum usu in ipsis rerum documentis apparet.* §. Quæ omnia. 6. hîc.

12. *Usus forensis præcepta confirmat.* d. § Quæ omnia. 6. hîc.

13. *Usum forensem urbis regiæ tanquam capitis & cæteræ provinciæ omnes subjectæ sequi debent.* §. Quam formam. 7. hîc.

DE PERPETUIS ET temporalibus actionibus, & quæ ad heredes & in heredes transeunt.

TITUL. XII.

HOc loco admonendi sumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, Senatúsve consulto, sive ex sacris constitutionibus proficiscuntur: perpetuò solere antiquitus competere, donec sacras constituriones: tam in rem

rem, quàm in personam actionibus certos fines dederunt: eas verò, quæ ex propria prætoris jurisdictione pendent, plerunque intra annum vivere: Nam & ipsius prætoris intra annum erat imperium. Aliquando tamè & in perpetuum extenduntur, id est, usq; ad finem ex constitutionib. introductum: quales sunt eæ, quas bonorum possessori, cæterisq; qui heredis loco sunt, adcommodat. Furti quoq; manifesti actio, quamvis ex ipsius prætoris jurisdictione proficiscatur, tamen perpetuò datur: absurdum enim esse existimavit, anno eam terminari.

1. ¶ Non autem omnes actiones, quæ in aliquem aut ipso jure competunt, aut à prætore dantur: & in heredem æquè competunt, aut dari solent. Est enim certissima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in heredem [rei] non competere [veluti] furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, damni, injuriæ. Sed heredibus hujusmodi actiones competunt, nec denegantur: exceptâ injuriarum actione, & si qua alia similis inveniatur. Aliquando tamen etiam ex contractu actio contra heredem non competit: veluti, cùm testator dolosè versatus sit, & ad heredem eius nihil ex eo dolo pervenit. Pœnales autem actiones, quas suprà diximus, si ab

ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, & heredibus dantur, & contra heredes transeunt.

2. ¶ Supereſt, ut admoneamus, quòd si ante rem judicatam is, cum quo actum est: satisfaciat actori: officio judicis convenit eum absolvere, licet in ea causa fuisset judicii accipiendi tempore, ut damnari deberet. Et hoc est, quòd antea vulgò dicebatur, omnia judicia absolutoria esse.

REGULÆ JURIS ex Tit. XII. excerptæ.

1. *Actiones civiles sunt perpetuæ.* Princip. hîc.

2. *Actiones prætoriæ sunt annuæ*, d. princip. hîc.

3. *Furti manifesti actio, quamvis prætoria, tamen perpetua est*, d. princ, hîc.

4. *Actiones rei persecutoriæ dantur heredibus & contra heredes.* §. Non a. 1. hîc.

5. *Actiones pœnales ex contractu dantur, tàm contra heredes, quàm heredibus.* d. §. Non autem. 1. hîc.

6. *Actiones pœnales ex delictis dantur heredibus, sed non contra heredes.* d. §. Non autem. 1. hîc.

7. *Si*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0540
DFG

7. *Si ante rem judicatam is, cum quo actum est, satisfaciat actori, officio judicis convenit eum absolvere.* §. Supereſt. 2. hîc.

8. *Omnia judicia ſunt abſolutoria* d. §. Supereſt. 2 hîc.

DE EXCEPTIONIBUS.

TIT. XIII.

SEquitur, ut de exceptionibus diſpiciamus. Comparatæ autem ſunt exceptiones defendendorum eorum gratiâ, cum quibus agitur. Sæpè enim accidit, ut licet ipſa perſecutio, quâ actor experitur, juſta ſit: tamen iniqua ſit adverſus eum, cum quo agitur.

1. ¶ Verbi gratiâ, ſi metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras [promittere] palàm eſt, jure civili te obligatum eſſe: & actio, quâ intenditur dare oportere, efficax eſt: ſed iniquum eſt, te condemnari. Idéoque datur tibi exceptio, quod metus cauſsâ, aut doli mali, aut in factum compoſita ad impugnandam actionem.

2. ¶ Idem juris est, si quis [quasi credendi caussâ pecuniam â te stipulatus fuerit, neque numeraverit. Nam eam pecuniam à te petere posse eum, certum est. Dare enim te oportet, quum ex stipulatione tenearis. Sed quia iniquum est: eo nomine te condemnari, placet exceptione pecuniæ non numeratæ te defendi debere. Cuius tempora nos (secundum quod jam superioribus libris scriptum est) constitutione nostrâ coarctavimus.

3. ¶ Præterea debitor, si pactus fuerit cum creditore, ne à se pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet: quia pacto convento obligationes non omninò dissolvuntur: quâ de causa efficax est adversus eum actio, quam actor intendit *Si apparet eum dare oportere*. Sed quia iniquum est, contra pactionem eum condemnari: defenditur per exceptionem pacti conventi.

4. ¶ Æquè, si debitor creditore deferente juraverit, nihil se dare oportere: adhuc obligatus permanet, sed quia iniquum est, de perjurio quæri: defenditur per exceptionem jurisjurandi. In iis quoque actionibus, quibus in rem agitur, æquè necessariæ sunt exceptiones, veluti si petitore deferente possessor juraverit, eam rem suam esse, & nihilominus petitor eandem rem vindicet, licet enim verum

rum sit, quod intendit, id est, rem eius esse. iniquum tamen est, possessorem condemnari. 5. ¶ Item si in judicio tecum actum fuerit, sive in rem, sive in personam: nihilominus obligatio durat: Et ideó ipso jure de eadem re postea adversus te agi potest, sed debes per exceptionem rei judicatæ adjuvari.

6. ¶ Hæc exempli caussâ retulisse sufficiat. Alioqui quàm ex multis variísque causis exceptiones necessariæ sint: ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris intelligi potest. 7. ¶ Quarum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vicem obtinent, vel ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt.

8. ¶ Appellantur autem exceptiones aliæ perpetuæ & peremtoriæ, aliæ temporales & dilatoriæ. 9. ¶ Perpetuæ & peremptoriæ sunt, quæ semper agentib. obstant, & semper rem, de qua agitur, perimunt: qualis est exceptio doli mali, quod metus causa factum est, & pacti conventi, cùm ita convenerit, ne omninò pecunia peteretur.

10. ¶ Temporales atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: qualis est pacti conventi, cùm ita convenerit, ne intra certum tempus agere-

ageretur, veluti intra quinquennium. Nam finito eo tempore, non impeditur actor rem exequi. Ergo ii, quibus intra certum tempus agere volentibus objicitur exceptio aut pacti conventi, aut alia similis: differre debent actionem, & post tempus agere. Ideò enim & dilatoriæ istæ exceptiones appellantur. Alioqui si intra tempus egerint, objectaque sit exceptio: neque eo judicio quicquam consequebantur propter exceptionem, neq; post tempus olim agere poterant: cùm temerè rem in judicium deducebant, & consumebant. Quâ ratione rem amittebant. Hodiè autem non ita strictè hoc procedere volumus sed eum, qui ante tempus pactionis vel obligationis litem inferre ausus sit, Zenonianæ constitutioni subjacere censemus, quam sacratissimus legislator de iis, qui tempore plus petierint, protulit: ut & inducias, quas ipse actor sponte indulserit, vel quas natura actionis continet, si contemserit, in duplum habeant ii, qui talem injuriam passi sunt: & posit eas finitas non aliter litem suscipiant, nisi omnes expensas litis antea acceperint: ut actores tali pœnâ perterriti, tempora litium doceantur observare.

11. ¶ Præterea etiam ex persona sunt dilatoriæ exceptiones, quales sunt procuratoriæ

riæ, veluti si per militem aut mulierem agere quis velit. Nam militibus, nec pro patre, vel matre, vel uxore: nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri conceditur, suis verò negociis superesse sine offensa [militaris] disciplinæ possunt. Eas verò exceptiones, quæ olim procuratoribus propter infamiam vel dantis, vel ipsius procuratoris opponebantur: cùm in judicijs frequentari nullo modo prospeximus, conquiescere sancimus: ne dum de iis altercatur, ipsius negocii disceptatio proteletur.

REGULÆ JURIS ex Titul. XIII. excerptæ.

1. *Comparatæ sunt actiones defendendorum eorum gratiâ, cum quibus agitur.* princ. hîc.

2. *Iusta sæpè est persecutio, sed iniqua adversus eum, cum quo agitur.* Princ. hîc.

3. *Promissio metu facta valet ipso jure,* §. Verbi gratiâ. 1. hîc.

4. *Ob promissionem metu factam iniquum est, te condemnari. Et hinc ergò datur exceptio.* d. §. Verbi gratiâ. 1. hîc.

5. *Dolus contractum stricti juris non vitiat.* d. §. Verbi gratiâ. 1. hîc.

6. Sti-

6. *Stipulatio ex errore facta jure obligatur.* §. Verbi gratiâ. 1. hîc.

7. *Omnis exceptio impugnat actionem.* d. § Verbi gratiâ. 1. hîc.

8. *Stipulatio de mutui datione ipso jure valet.* §. Idem juris. 2. hîc.

9. *Ob mutui dationem promissam, sed non subsecutam, iniquum est quem condemnari.* d. §. Idem juris. 2. hîc.

10. *Exceptio non numeratæ pecuniæ hodiè biennio coarctata est.* dict. §. Idem juris. 2. hîc.

11. *obligationes non dissolvuntur pacto ipso jure* §. Præterea. 3. hîc.

12. *Contra pactionem quem condemnari iniquum est.* d. §. Præterea. 3. hîc.

13. *Obligatio non tollitur ipso jure per jusjurandum.* §. Æquè 4. hîc.

14. *Iniquum est de perjurio quæri.* d. §. Æquè. 4. hîc.

15. *Exceptio jurijurandi contra omnem actionem à prætore datur.* d. §. Æquè. 4. hîc.

16. *Obligatio non tollitur ipso jure per sententiam.* §. Item si. 5. hîc.

17. *Obligationi exceptio rei judicatæ potest opponi.* d. §. Item si. 5. hîc.

18. *Exempli loco pauca adduxisse sufficere potest.* §. Hæc exempli. 6. hîc.

19. Ex-

19. *Exceptiones perpetuæ & peremtoriæ semper agentibus obstant.* §. Perpetuæ. 9 h. c.

20. *Exceptiones temporales & dilatoriæ ad tempus tantùm nocent.* §. Temporales. 10. hic.

21. *Actor tempore plus petens in duplum & simplum condemnatur.* dict. §. Temporales. 10. h. c.

22. *Militibus nec pro patre vel matre, vel uxore, vel ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri conceditur.* §. Præterea. 11. hic.

23. *Milites suis negociis supersesse sine offensa militaris disciplinæ possunt.* d. §. Præterea. 11. hic.

24. *De supervacuis non est altercandum, ne interea ipsius negocii disceptatio proteletur.* d. §. Præterea. 11. hic.

DE REPLICATIONIBUS.

TIT. XIV.

INterdum evenit, ut exceptio, quæ primâ facie justa videtur, [tamen] iniquè noceat. Quod cùm accidit, aliâ allegatione opus est, adjuvandi actoris gratiâ, quæ replicatio vocatur, quia per eâ replicatur atq; resol

vitur

vitur jus exceptionis: veluti cùm pactus est aliquis cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat, deinde postea in contarium pacti sunt, id est, ut creditori petere liceat: si creditor agat, & excipiat debitor, ut ita demùm condemnetur, si non convenerit: ne eam pecuniam creditor petat: nocet ei exceptio: convenit enim ita: namque nihilominus hoc verum manet, licet postea in contrarium pacti sunt. Sed quia iniquum est, creditorem excludi, replicatio ei dabitur ex posteriore pacto convento.

1. ¶ Rursus interdum evenit, ut replicatio, quæ primâ facie justa est, iniquè noceat. Quod cùm accidit, aliâ allegatione opus est, adjuvandi rei gratiâ, quę duplicatio vocatur.

2. ¶ Et si rursus eâ primâ facie justa videatur, sed propter aliquam causam actori iniquè noceat: Rursus aliâ allegatione opus est, quâ actor adjuvetur: quæ dicitur triplicatio.

3. ¶ Quarum omnium exceptionum usum interdum ulterius, quàm diximus, varietas negociorum introducit, quas omnes apertiùs ex Digestorum latiore volumine facilè est agnoscere. 4. ¶ Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerumque adcommodari solent etiam fidejussoribus eius, & re-

& rectè: quia quod ab iis petitur, id ab ipso debitore peti videtur: quia mandati judicio redditurus est eis, quod [ii] pro eo solverint. Quâ ratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit, placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conventi illis quoque, qui pro eo obligati sunt, ac si etiam cum ipsis pactus esset, ne ab eis ea pecunia peteretur. Sanè quædam exceptiones non solent his adcommodari. Ecce enim debitor, si bonis suis cesserit, & cum eo creditor experiatur: defenditur per exceptionem, si bonis cesserit. Sed hæc exceptio fidejussorib. non datur: ideò scilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cùm facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab iis, quos pro eo obligavit, suum consequi.

REGULÆ JURIS ex Tit. XIV. excerptæ.

1. *Interdum evenit, ut exceptio, quæ primâ facie justa videtur, tamen iniquè noceat.* Princip. hîc.

2. *Quando nocet exceptio, replicatio opponenda est.* d. princ. hîc.

3. *Per replicationem resolvitur jus exceptionis.* d.princ.hîc.

4. *Et replicatio quandoq; nocet.* §. Rursus. 1.hîc.

5. *Replicationi duplicatio opponitur.* d. § Rursus.1.hîc.

6. *Duplicationi Triplicatio opponitur.* §. Etsi. 2,hîc.

7. *Exceptiones quæ reis dantur, ipsorum quoque fidejussoribus accommodantur.* §. Exceptiones.4. hîc. *Sed plerumque: undestatim exceptio subjicitur.*

8. *Hinc: Actio quæ rei cohæret, etiam transit ad fidejussores.* d. §. Exceptiones.4 hîc.

9. *Actio, quæ personæ cohæret, non transit ad fidejussores.* d. §. Exceptiones. 4 hîc.

10. *Exceptio, si bonis debitor cesserit, non datur fidejussoribus.* d. §. Exceptiones. 2. hîc.

11. *Qui alios pro debitore obligat, hoc maximè prospicit, ut cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit aliis, quos pro eo obligavit, suum consequi.* d. §. Exceptiones. 4. hîc.

DE INTERDICTIS.

Tit. XV.

SEquitur, ut dispiciamus de interdictis

dictis seu actionibus, quę pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ atque conceptiones verborum, quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat. Quod tunc maximè fiebat, cùm de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur.

1. ¶ Summa autem divisio interdictorum hæc est: quod aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria. Prohibitoria sunt, quibus prætor vetat aliquid fieri, veluti vim sine vitio possidenti, vel mortuum inferenti, quò ejus erat inferendi, vel in sacro loco ædificari, vel in flumine publico ripáve ejus aliquid fieri, quo pejus navigetur. Restitutoria sunt, quibus restitui aliquid jubet veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ quis pro herede aut pro possessore possidet [ex ea hereditate:] aut cùm jubet ei, qui vi de possessione fundi dejectus sit, restitui possessionem. Exhibitoria sunt, per quæ jubet exhiberi: veluti eum, cujus de libertate agitur, aut libertum, cui patronus operas indicere velit, aut parenti liberos, qui in potestate ejus sunt. Sunt tamen, qui putent, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria sunt, quia interdicere sit

sit denunciare & prohibere: restitutoria autem & exhibitoria, propriè decreta vocari. Sed tamen obtinuit, omnia interdicta appellari: quia inter duos dicuntur. 2. ¶ Sequens divisio interdictorum hæc est, quod quædam adipiscendæ possessionis causâ comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

3. ¶ Adipiscendæ possessionis causâ interdictum adcommodatur bonorum possessori, quod appellatur, *quorum bonorum*. Eiusque vis & potestas hæc est: ut quod ex his bonis quisque, quorum possessio alicui data est, pro herede, aut pro possessore possideat: id ei, cui bonorum possessio data est, restituere debeat. Pro herede autem possidere videtur, qui putat se heredem esse. Pro possessore is possidet, qui nullo jure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. Ideò autem adipiscendæ possessionis vocatur interdictum: quia ei tantùm utile est, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem. Itaque si quis adeptus possessionem, amiserit eam: hoc interdictum ei inutile est. Interdictum quoque quod appellatur Salvianum, adipiscendæ possessionis causâ comparatum est: eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mer-

mercedibus fundi pignori futuras pepigisset.

4. ¶ Retinendæ possessionis caussâ comparata sunt interdicta, *uti possidetis*, & *utrubi*: cùm ab utráque parte de proprietate alicuius rei controversia sit: & ante quæratur uter ex litigatoribus possidere, & uter petere debeat. Namque nisi ante exploratum fuerit, utrius eorum possessio sit: non potest petitoria actio institui: quia & civilis & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodiùs est [& potiùs] possidere, quàm petere: ideò plerumque & fere semper ingens existit contentio de ipsa possessione. Commodum autem possidendi in eo est, quòd etiamsi eius res non sit, qui possidet: si modò actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio, propter quam causam, cùm obscura sunt utriusque jura: contra petitorem judicari solet. Sed interdicto quidem, *uti possidetis*, de fundi vel ædium possessione contenditur: *utrubi* verò interdicto, de rerum mobilium possessione. Quorum vis ac potestas plurimam inter se differentiam apud veteres habebat. Nam *uti possidetis* interdicto is vincebat, qui interdicti tempore possidebat: si modò nec vi, nec clam, nec precario nactus

fuerat ab adversario possessionem: etiamsi alium vi expulerat, aut clàm arripuerat alienam possessionem, aut precariò rogaverat aliquem, ut sibi possidere liceret. *Utrubi* verò interdicto is vincebat, qui majori parte eius anni, nec vi, nec clàm, nec precariò ab adversario possidebat. Hodiè tamen aliter observatur. Nam utriusq; interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exæquata est: uti ille vincat [&] in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clàm, nec precariò ab adversario litis contestatæ tempore detinet.

5. ¶ Possidere autem videtur quisque, non solũ si ipse possideat, sed & si eius nomine aliquis in possessione sit, licèt is eius juri subjectus non sit, qualis & colonus, & inquilinus. Per eos quoque, apud quos deposuerit quis, aut quibus commodaverit, ipse possidere videtur. Et hoc est, quod dicitur, retinere possessionem posse aliquem per quemlibet, qui eius nomine sit in possessione: quin etiam animo quoq; solo retineri possessionem placet: id est, ut quamvis neque ipse sit in possessione, neque eius nomine alius: tamen si non relinquendæ possessionis animo, sed postea reversurus inde discesserit, retinere possessionem videatur. Adipisci verò possessionem

per

per quos aliquis potest, secundo libro exposuimus. Nec ulla dubitatio est, quin animo solo adipisci possessionem nemo possit.

6. ¶ Recuperandæ possessionis caussâ solet interdici, si quis ex possessione fundi vel ædium vi dejectus fuerit: Nam ei proponitur interdictum *unde vi*, per quod is, qui dejecerit, cogitur ei restituere possessionem: licet is ab eo, qui vi dejecit, ut vel clàm, vel precariò possideat. Sed ex constitutionib. sacris (ut suprà diximus) si quis rem per vim occupaverit, siquidè in bonis eius est, domini eius privatur, si aliena: post eius restitutionem, etiam æstimationem [rei] dare vim passo compellitur. Qui autem aliquem de possessione per vim dejecerit: tenetur lege Juliâ, de vi privata, aut de vi publica. Sed de vi privata si sine armis vim fecerit: sin autem cum armis eum de possessione vi expulerit, de vi publica [tenetur.] Armorum autem appellatione non solùm scuta, & gladios, & galeas, sed & fustes & lapides significari intelligimus.

7. ¶ Tertia divisio interdictorum hæc est, quòd aut simplicia sunt, aut duplicia. Simplicia sunt, veluti, in quibus alter actor, alter reus [est,] qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria: nam actor is est, qui desiderat aut

exhiberi, aut restitui: reus autem is est, à quo desideratur, ut restituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia simplicia sunt, alia duplicia. Simplicia sunt, veluti cùm prætor prohibet in loco sacro, vel in flumine publico ripáve eius aliquid fieri. Nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat: reus est, qui aliquid facere conatur. Duplicia sunt, veluti *uti possidetis* interdictum, & *utrubi*. Ideò autem duplicia vocantur, quia par utriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipuè reus vel actor intelligitur: sed unusquisq; tam rei, quàm actoris partes sustinet.

8. ¶ De ordine & vetere exitu interdictorum supervacuum est hodiè dicere. Nam quotiens extra ordinem jus dicitur (qualia sunt hodiè omnia judicia) non est necesse reddi interdictum: sed perinde judicatur sine interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti reddita fuisset.

REGULÆ JURIS ex Titul. XV. excerptæ.

1. *In interdictis vel maximè de possessione, vel quasi est contentio.* Princ. hîc.

2. *Vi*

2. *Vis sine vitio possidenti non est inferenda.* §. Summa. 1. hîc.

3. *In flumine publico ripáve eius nihil fieri debet, quo peius navigetur.* d. §. Summa autem. 1. hîc.

4. *Mortuum jure inferenti non est vis inferenda.* §. Summa. 1. hîc.

5. *In loco sacro jure ædificanti non est vis inferenda.* §. Summa. 1. hîc.

6. *Interdictum, quorum bonorum datur tantùm bonorum possessori.* §. Adipiscendæ pos. 3. hîc.

7. *Interdictum quorum bonorum ad hoc datur, ut bonorum possessor id, quod ex bonorum possessione ei delata ab alio possidetur, adipiscatur.* §. Adipiscendæ. 3 hîc.

8. *Interdictum quorum bonorum datur contra possessorem, qui pro herede vel possessore possidet.* d. §. Adipiscendæ. 3. hîc.

9. *Interdictum Salvianum datur domino fundi, quem alicui colendum dedit.* d. §. Adipiscendæ. 3. hîc.

10. *Interdictum Salvianum datur ad res coloni domino oppignoratas, quarum possessio ab alio sit occupata vel detenta adipiscendas.* d. §. Adipiscendæ. 3. hîc.

11. *Lis de possessione prius terminanda est.* §. Retinendæ. 4. hîc.

12. *Lis de proprietate posteriùs terminanda est.* d. §. Retinendæ 4. hîc.

13. *Nisi ante exploratum fuerit, utrius eorum possessio sit, non potest petitoria actio institui.* d. §. Retinendæ. 4. hîc.

14. *Civilis & naturalis ratio facit, ut alius possideat, & alius à possidente petat.* d. §. Retinendæ. 4. hîc.

15. *Commodiùs est possidere, quàm petere.* d. §. Retinendæ. 4. hîc.

16. *Hinc Lis de possessione maximi est momenti.* §. Retinendæ. 4. hîc.

17. *Commodum possidendi in eo, quod, etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modò actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio.* d. §. Retinendæ. 4. hîc.

18. *Cùm obscura sunt utriusq; jura, contra petitorem solet judicari.* dict. §. Retinendæ. 4. hîc.

19. *Interdicto uti possidetis de rerum immobilium possessione contenditur.* d. §. Retinendæ. 4. hîc.

20. *Interdicto utrubi de rerum mobilium possessione contenditur.* dict. §. Retinendæ. 4. hîc.

21. *Possidet quisque non solùm qui ipse possidet, sed etsi eius nomine aliquis in possessione sit.* §. Possidere. 5. hîc.

22. A-

22. *Animo quoq; solo retineri potest possessio.* § Possidere. 5. hîc.

23. *Animo solo adipisci possessionem nemo potest.* d. §. Possidere. 5. hîc.

24. *Interdicto unde vi is qui dejecit, cogitur ei restituere possessionem.* §. Recuperandæ pos. 6. hîc.

25. *Si quis rem per vim occupaverit, siquidem in bonis est, dominio privatur.* d. § Recuperandæ. 6. hîc.

26. *Si res aliena occupata per vim post eius restitutionem, item æstimationem rei dare vim passo compellitur.* §. Recuperandæ. 6. hîc.

27. *Qui armis aliquem dejecit, de vi publica tenetur.* d. §. Recuperandæ. 6. hîc.

28. *Armorum appellatio est latissima.* d. §. Recuperandæ. 6. hîc.

29. *In interdictis simplicibus actor & reus distincti sunt.* §. Tertia. 7. hîc.

30. *In interdictis duplicibus par utriusq; litigatoris conditio est.* d. §. Tertia. 7. hîc.

31. *Omnia judicia hodié sunt extraordinaria.* §. De ordine. 8 hîc.

32. *Quoad formam & ordinem hodiè interdicta non differunt ab actionibus.* d. §. De ordine. 8. hîc.

DE

DE POENA TEMERÈ litigantium.

TIT. XVI.

NUnc admonendi sumus, magnam curam egisse eos, qui jura sustinebant, ne facilè homines ad litigandum procederent: quod & nobis studio est. Idque eò maximè fieri potest, quòd temeritas tam agentium, quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniariâ pœnâ, modò jurisjurandi religione, modò infamiæ metu coërcetur.

1. ¶ Ecce enim jusjurandum omnibus, qui conveniuntur, ex constitutione nostra defertur. Nam reus non aliter suis allegationibus utitur, nisi prius juraverit quod putans se bona instantia uti, ad contradicendū pervenit. At adversus inficiantes, ex quibusdam causis dupli [vel tripli] actio constituitur, veluti si damni injuriâ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur. Statim autem ab initio pluris, quàm simpli est actio: veluti furti manifesti, quadrupli: nec manifesti, dupli. Nam ex his & aliis quibusdam causis (sive quis neget, sive fateatur) pluris, quàm simpli est actio. Item actoris quo-

quoque calumnia coërcetur. Nam etiam actor pro calumnia jurare cogitur ex nostra constitutione. Utriusque etiam partis advocati jusjurandum subeunt, quod aliâ nostrâ constitutione comprehensum est. Hæc autem omnia pro veteris calumniæ actione introducta sunt, quæ in desuetudinem abiit: quia in partem decimam litis actores multabat, quod nusquam factum esse invenimus, sed pro his introductum est, [&] præfatum jusjurandum, & ut improbus litigator [&] damnum & impensas litis inferre adversario suo cogatur.

2. ¶ Ex quibusdam judiciis damnati, ignominiosi fiunt: veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depositi, directis, non contrariis actionibus. Item pro socio, quæ ab utraque parte directa est: Et ob id quilibet ex sociis eo judicio damnatus, ignominiâ notatur. Sed furti quidem, aut vi bonorum raptorum, aut injuriarum, aut de dolo, non solum damnati notantur ignominiâ: sed & pacti, & rectè: plurimum enim interest, utrum ex delicto aliquis, aut ex contractu debitor sit.

3. ¶ Omnium autem actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscí-

ciscitur, quâ prætor edicit de in jus vocando. Utique enim in primis adversarius in jus vocandus est: id est, ad eum vocandus, qui jus dicturus sit. Quâ parte prætor parentibus & patronis, item parentibus liberisque patronorum & patronarũ hunc præstat honorem: ut non aliter liberis libertisque eos in jus vocare, quàm si id ab ipso prætore postulaverint, & impetraverint. Et si quis aliter vocaverit: in eum pœnam solidorum quinquaginta constituit.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVI. excerptæ.

1. *Lites maturè restingvendæ sunt.* Princ. hîc.

2. *Reus cogitur jurare de calumnia.* §. Ecce enim. 1. hîc.

3. *Reus si insicietur debitum, & malit litigare, quàm solvere, punitur pœnâ pecuniariâ.* d. §. Ecce enim. 1. hîc.

4. *Actoris quoq; calumnia coercetur.* §. Ecce. 1. v. Item actoris. hîc.

5. *Actor pro calumnia jurare cogitur.* d. §. Ecce. v. Item actoris. hîc.

6. Iura-

6. *Iuramentum calumniæ etiam advocati præstare coguntur.* d. §. Ecce. v. utriusq; hîc.

7. *Improbus litigator & damnum & impensas litis inferre adversario suo cogitur.* d. §. Ecce. 1. v. Hæc autem omnia. hîc.

8. *Ex quibusdam judiciis damnati ignominiosi fiunt.* §. Ex quibusd. 2. hîc.

9. *Actiones ex maleficiis omnes sunt famosæ, exceptâ unâ legis Aquiliæ.* d. §. Ex quibusdam. 2. hîc.

10. *Plurium interest, utrum ex delicto aliquis, aut ex contractu debitor sit.* d. §. Ex quibusdam. 2. hîc.

11. *Nam: In actionibus ex delicto non tantùm damnati, sed & pacti notantur infamiâ.* §. Ex quib. 2. hîc.

12. *In actionibus ex contractu tantùm damnati notantur infamiâ.* dict. §. Ex quibusdam. 2. hîc.

13. *Omnium actionum instituendarum principium est in jus vocatio.* §. Omnium. 3. hîc.

14. *Inprimis adversarius in jus vocandus est.* d. § Omnium. 3. hîc.

15. *Sine venia prætoris parentes à liberis, patroni à libertis in jus non vocantur.* d. §. Omnium. 3. hîc.

DE

DE OFFICIO JUdicis.

Tit. XVII.

SUpereſt, ut de officio judicis diſpiciamus. Et quidem in primis illud obſervare debet judex, ne aliter judicet, quàm legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

2. ¶ Idcóque ſi noxali judicio aditus eſt: obſervare debet, ut, ſi condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, *Publium Mævium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.*

2. ¶ Etſi in rem actum ſit [coràm judice:] ſive contra petitorem judicaverit: abſolvere debet poſſeſſorem: ſive contra poſſeſſorem, jubere ei debet, ut rem ipſam reſtituat cum fructibus. Sed ſi poſſeſſor neget in præſenti ſe reſtituere poſſe, & ſine fruſtratione videbitur tempus reſtituendi cauſsâ petere, indulgendum eſt ei: ut tamen de litis æſtimatione caveat cum fidejuſſore, ſi intra tempus, quod ei datum eſt, non reſtituerit. Et ſi hereditas petita ſit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de ſingularum

rum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpâ suâ possessor non perceperit: [sive illorum], quos perceperit: in utráque actione eadem ratio penè habetur, si prædo fuerit. Si verò bonæ fidei possessor fuerit: non habetur ratio, [neq;] consumtorum, neque non perceptorum. Post inchoatam autem petitionem, etiam illorum [fructuum] ratio habetur, qui culpâ possessoris percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt.

3. ¶ Si ad exhibendum actum fuerit: non sufficit, si exhibeat rem is, cum quo actum est: sed opus est, ut etiam rei causam debeat exhibere, id est, ut eam causam habeat actor, quam habiturus esset, si cùm primùm ad exhibendum egisset, exhibita res fuisset. Ideóque si inter moras [exhibendi] vsucapta sit res à possessore: nihilominus condemnabitur. Præterea fructuum medii temporis, id est, eius, quod post acceptum ad exhibendum judicium, ante rem judicatam intercesserit: rationem habere debet judex. Quòd si neget reus, cum quo ad exhibendum actum est, in præsenti se exhibere posse, & tempus exhibendi caussâ petat, idque sine frustratione postulare videatur: dare ei debet, ut tamen caveat, se restituturum, quod si neque statim

jussu judicis rem exhibeat, neque postea exhibiturum, si caveat: condemnandus sit in id, quod actoris intererat, si ab initio res exhibita esset.

4. ¶ Si familiæ ereiscundæ [judicio] actum sit, singulas res singulis heredibus adjudicare debet. Et si in alterius persona prægravare videatur adjudicatio: debet hunc invicem coheredi certâ pecuniâ (sicut jam dictum est) condemnare. Eo quoq; nomine coheredi quisq; suo condemnandus est, quod solus fructus hereditarii fundi perceperit, aut rem hereditariâ corruperit aut consumpserit. Quæ quidem similiter inter plures quoque, quàm duos coheredes subsequuntur.

5. ¶ Eadem interveniunt, & si communi dividundo de pluribus rebus actū sit. Quod si de una re, veluti de fundo: siquidem iste fundus commodè regionibus divisionem recipiat: partes eius singulis adjudicare debet. Et si unius pars prægravare videbitur: is invicem certâ pecuniâ alteri condemnandus est. Quòd si commodè dividi non possit: veluti si homo fortè, aut mulus erit, de quo actum sit, tunc totus uni adjudicandus est, & is invicem alteri certâ pecuniâ condemnandus est.

6. ¶ Si finium regundorum actum fuerit,

rit, dispicere debet judex, an necessaria sit adjudicatio, quæ sanè uno casu necessaria est, si evidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quàm olim fuissent distincti. Nam tunc necesse est, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicari: quo casu conveniens est, ut is alteri certâ pecuniâ debeat condemnari. Eo quoque nomine condemnandus est quisque hoc judicio, quòd fortè circa fines aliquid malitiosè commisit: verbi gratiâ, quia lapides finales furatus est, vel arbores finales excidit. Contumaciæ quoque nomine quisque eo judicio condemnatur: veluti si quis jubente judice metiri agros passus non fuerit. 7. ¶ Quod autem istis judiciis alicui adjudicatum fuerit: statim ejus fit, cui adjudicatum est.

REGULÆ JURIS ex Tit. XVII. excerptæ.

1. *Iudex non aliter judicet, quàm legibus, constitutionibus, aut moribus proditum est.* Princip. hic.

2. *Sententia judicis in judicio noxali noxæ præstationem & deditionem debet complecti.* §. Ideóque. 1. hîc.

3. Iudicis sententia in possessore vel condemnando vel absolvendo consistit. §. Etsi in rem. 2. hîc.

4. Reus condemnatus si non potest statim rem restituere, tempus ei indulgendum est. d. §. Etsi. 2. hîc.

5. In hereditatis petitione hereditas & fructus restituenda sunt. d. §. Etsi. 2. vers. Etsi hereditas. hîc.

6. In petitione hereditatis jure actionis omnes veniunt fructus. d. §. Etsi. 2. hîc.

7. In rei vindicatione tantùm illi veniunt fructus, qui ante litem contestatam percepti sunt. d. §. Etsi. 2. hîc.

8. Si bonæ fidei possessor sit, non habetur ratio fructuum, neq; consumptorum, neq; perceptorum. d. §. Etsi. 2. hîc.

9. Post inchoatam petitionem etiam illorum fructuum ratio habetur, qui culpâ possessionis percepti non sunt, vel percepti consumpti sunt. d. §. Etsi. 2. v. post inchoatum. hîc.

10. In actione ad exhibendum judex jubet exhibere, & rem & causam omnem. §. Si ad exhibendum. 3. hîc.

11. In actione ad exhibendum habetur ratio fructuum, non tantùm, qui ante judicium percepti, sed & qui post medio tempore percepti. d. §. Ad exhibendum. 3. hîc.

12. Et

12. *Et jus usucapionis actori restituendum est.* d. §. Ad exhibendum. 3. hîc.

13. *Si reus non vult rem exhibere, juratur in litem ab actore.* dict. §. Ad exhibendum. 3. hîc.

14. *Si reus non potest statim rem exhibere, tempus ei à judice indulgetur.* §. Ad exhibendum. 3. hîc.

15. *Si familiæ herciscundæ judicio actum sit de pluribus, singulas res singulis heredibus adjudicare debet judex.* §. Si familiæ. 4. hîc.

16. *Adjudicatio neminem debet prægravare.* d. §. Si familiæ. 4. hîc.

17. *In familiæ herciscundæ judicio etiam fructuum æstimandorum debet haberi ratio.* d. §. Si familiæ. 4. hîc.

18. *In communi dividendo cùm res est dividua, partes singulis erunt adjudicandæ.* §. Eadem. 5. hîc.

19. *In communi dividundo, cùm res non dividua tota uni adjudicanda est, & is invicem alteri certâ pecuniâ condemnandus.* d. §. Eadem. 5. hîc.

20. *In finium regundorum judicio adjudicatio necessaria est, si fines aliter dirigi non possunt.* §. Si finium. 6. hîc.

21. *In finibus regundis, si uni pars agri adjudicata, is alteri certâ pecuniâ debet condemnari.* d. §. Si finium. 6. hîc.

22. *Si quid circa fines malitiosè quis commisit, judicium criminale de termino moto & hîc locum habet.* d. §. Si finium 6 hîc.

23. *Actione finium regundorum & is condemnatur, qui jubente judice agros metiri non est passus.* d. §. Si finium 6. hîc.

24. *In familiæ herciscundæ communi dividundo, & finium regundorum judiciis per sententiam judicis dominium acquiritur.* §. finali. hîc.

DE PUBLICIS JUDICIIS.

TIT. XVIII.

Publica judicia neque per actiones ordinantur, neque omninò quicquam simile habent cum cæteris judiciis, de quibus locuti sumus: magnáq; diversitas eorum est & in instituendo, & in exercendo.

1. ¶ Publica autem dicta sunt, quòd cuivis ex populo executio eorum plerunque datur.

2. ¶ Publicorum judiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. Capitalia dicimus, quæ ultimo supplicio afficiunt [homines], vel [etiam] aquæ & ignis interdictio-

ctione, vel deportatione, vel metallo. Cætera si quam infamiam irrogant cum damno pecuniario: hæc publica quidem sunt, non tamen capitalia.

3. ¶ Publica autem judicia hæc sunt: lex Julia majestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel R. empub. aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Cujus pœna animæ amissionem sustinet, & memoria rei etiam post mortem damnatur. 4. ¶ Item lex Julia de adulteriis coercendis, quæ non solùm temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed & eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent. Sed eâdem lege Juliâ etiam stupri flagitiũ punitur, cùm quis sine vi vel virginem, vel viduam honestè virentem, stupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat stupratoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coercitionem cum relegatione.

5. ¶ Item lex Cornelia sicariis, quæ homicidas ultore ferro persequitur, vel eos, qui homines occidendi caussâ cum telo ambulant. Telum autem (ut Cajus noster ex interpretatione legum duodecim tabularum scriptum reliquit) uulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed & omne si-

gnificat, quod manu cuiusque jacitur. Sequitur ergò, ut lignum & lapis, & ferrum hoc nomine contineatur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur; [á] Græca voce τηλε figuratum. Et [sic] hanc significationem invenire possumus & in Græco nomine. Nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Admonent nos epigrammata in Xerolopho urbis faustissimę scripta: καὶ τὰ βέλη ὁμῶς ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. *Id est, Et huiusmodi tela simul ab eis ferebantur, lanceæ, spiculæ, fundæ, plurimi autem & lapides.* Sicarii autem appellantur à sica, quod significat ferreum cultrum. Eâdem lege & venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis, quàm susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publicè vendiderint.

6. ¶ Alia deinde lex asperrimum crimen novâ pœnâ persequitur, quæ Pompeia de Parricidiis vocatur, quâ cavetur, ut si quis parentis, aut filii, aut omninò affinitatis eius, quæ nuncupatione parentũ continetur, fata præparaverit (sive clàm, sive palàm id aũsus fuerit) [nec non is, cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis exiſtit, licèt extra-

extraneus sit,] pœnâ parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed insutus culleo cum Cane, & Gallo gallinaceo, & Viperâ, & Simiâ; & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usus vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, [&] terra mortuo auferatur. Siquis autem alias cognatione vel adfinitate personas conjunctas necaverit: pœnam legis Corneliæ de sicariis sustinebit.

7. ¶ Item lex Cornelia de falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit: vel signum adulterinum fecerit, sculpserit: expresserit sciens dolo malo. Eiúsque legis pœna in servos, ultimum supplicium est (quod etiam in lege de sicariis & veneficis servatur) in liberos verò deportatio.

8. ¶ Item lex Julia de vi publica seu privata, adversus eos exoritur, qui vim vel armatam, vel sine armis commiserint. Sed siquidem armata vis arguatur: deportatio ei ex lege Julia de vi publica irrogatur, si verò sine

armis: in tertiam partem bonorum [suorum] publicatio imponitur: Sin autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus: tunc & raptores, & ii, qui opem [huic] flagitio dederunt, capite puniuntur, secundùm nostræ constitutionis definitionem, ex qua hoc apertiùs possibile est scire.

9. ¶ Item lex Julia peculatos eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religiosam furati fuerint. Sed siquidem ipsi judices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint: capitali animadversione puniuntur; & non solùm hi, sed etiam, qui ministerium eis ad hoc exhibuerint, vel qui subtractas ab his scientes susceperint. Alii verò qui in hanc legem inciderint: pœnæ deportationis subjugentur.

10. ¶ Est & inter publica judicia lex Flavia de plagiariis, quæ interdum capitis pœnam ex sacris constitutionibus irrogat, interdum leviorem. 11. ¶ Sunt præterea publica judicia lex Julia de ambitu, lex Julia repetundarum, & lex Julia de annona, & lex Julia de residuis, quæ de certis capitulis loquuntur: & animæ quidem amissionem non irrogant; aliis autem pœnis eos subjiciunt, qui precepta earũ neglexerint. Sed de publi-

cis

cis judiciis hęc exposuimus, ut vobis possibile sit summo digito, & quasi per indicem ea tetigisse, & alioqui diligentior eorum scientia vobis ex latioribus Digestorum seu Pandectarum libris Deo propitio adventura est.

REGULÆ JURIS ex Titul. XVIII. excerptæ.

1. *Publica judicia differunt ab actionibus, tùm in instituendo, tùm in exercendo.* Princip. hîc.

2. *Publicorum judiciorum executio cuivis è populo plerumq; datur.* §. Publica. 1. hîc.

3. *Lex Iulia majestatis in eos, qui contra Imperatorem vel Rempub. aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit.* §. Publica. 3. hîc.

4. *Crimen perduellionis animæ amissione punitur.* d. §. Publica. 3. hîc.

5. *Rei quoad crimen perduellionis memoria etiam post mortem damnatur.* d. §. Publica. 3. hîc.

6. *Lex Iulia de adulteriis temeratores aliarum nuptiarum gladio punit.* §. Item. 4. hîc.

7. *Lex Iulia de adulteriis eos, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent, gladio punit.* d. §. Item. 4. hîc.

8. Le-

8. Lege Iuliâ de adulteriis etiam stuprum punitur. d. §. Item 4. hîc.

9. Lex Cornelia de sicariis, eos, qui homines occidendi caussâ cum telo ambulant, ultore ferro persequitur. dict. §. Item lex Cornelia. 5. hîc.

10. Lex Cornelia de sicariis homicidas ultore ferro persequitur. d. §. Item lex Cornelia. 5. hîc.

11. Teli vocis significatio est amplissima. §. Item 5. hîc.

12. Lege Corneliâ de sicariis venefici capite damnatur. d. §. Item lex. 5. hîc.

13. Lex Pompeja de Parricidiis parricidarum asperrimum crimen novâ pœnâ persequitur. §. Alia deinde. 6. hîc.

14. Lege Pompejâ is, cuius dolo malo parricidium factum est, vel qui conscius criminis existit, pœnâ parricidii punitur. d. §. Alia deinde. 6. hîc.

15. Lex Cornelia de falsis falsarios graviter punit §. Item lex. 7. hîc.

16. Humiliores quoad pœnam ab honestioribus distinguuntur. d. §. Item lex. 7. hîc.

17. Lex Iulia de vi datur contra eos, qui vim commiserunt. §. Item lex. 8. hîc.

18. Lex Iulia peculatus eos punit, qui publicam pecu-

pecuniam, vel sacram rem, vel religiosam furati sunt. §. Item lex. 9. h. c.

19. *Brevius tractata ex aliis latioribus libris fusius tandem possunt cognosci.* §. Sunt præterea. fin. hic.

Idem & in omnibus hisce nobis præviis, si Deus Vitam & Sanitatem, tum animitum corporis concesserit ulterius, fiet.



DE

DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS antiqui.

Tit. XVII.

1. Paulus *libro decimosexto ad Plautinum.*

Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ex regula jus sumatur: sed ex jure, quod est, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & (ut ait Sabinus) quasi causæ conjectio est. Quæ simul, cùm in aliquo vitiata est, perdit officium simul.

2. Ulpianus *libro primo ad Sabinum.*

Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt: & ideò nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere.

1. ¶ Item impubes omnibus officiis civilibus debet abstinere.

3. Idem *lib. 3. ad Sabinum.*

Eius

Elus est non nolle, qui potest velle.

4. Idem *libro sexto ad Sabinum*

VElle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.

5. Paulus *libro secundo ad Sabinum.*

IN negociis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum, qui fari possunt quamvis actum rei non intelligerent. Nam furiosus nullum negocium contrahere potest: pupillus omnia tutore auctore agere potest.

6. Ulpianus [*libro septimo ad Sabinum.*]

Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

7. Pomponius [*lib.3. ad Sabinum.*

IUs nostrum non patitur eundem in paganis, & testatò & intestatò decessisse: earumque rerum naturaliter inter se pugna est, [testatus & intestatus.]

8. Idem *lib.4. ad Sabinum.*

IUra sangvinis nullo jure civili dirimi possunt.

9. Ulpianus *libro decimo quinto ad Sabinum.*

SEmper in obscuris, quod minimum est, sequimur.

10. Pau-

10. Paulus [*libro tertio ad Sabinum.*

SEcundùm naturam est, commoda cuiusq; rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

11. Pomponius [*libro quinto ad Sabinum.*

ID, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest

12. Paulus [*libro tertio ad Sabinum*]

IN testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

13. Ulpianus [*libro nonodecimo ad Sabinum.*

NOn videtur cepisse, qui per exceptionem [à petitione] removetur.

14. Pomponius *libro quinto ad Sabinum.*

IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

15. Paulus *libro quarto ad Sabinum.*

IS, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

16. Ulpianus *libro vicesimoprimo ad Sabinum.*

Ima-

IMaginaria venditio non eſt pretio accedente.

17. Idem *libro viceſimo tertio ad Sabinum.*

CUm tempus in teſtamento adjicitur, credendum eſt, pro herede adjectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicuti inſtipulationibus promiſſoris gratiâ tempus adjicitur.

18. Pomponius *libro ſexto ad Sabinum.*

QVæ legata mortuis nobis ad heredem noſtrum tránſeunt, eorum commodum per nos his, quorum in poteſtate ſumus, eodem caſu adquirimus, aliter atque quod ſtipulati ſumus. Nam & ſub conditione ſtipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiamſi libertatis nobis poteſtate domini conditio exiſtat.

PAULUS.

SI *filius familias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit: deinde exſtiterit conditio: patri actio competit: quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.*

19. Ulpianus *libro viceſimoquarto ad Sabinum.*

QVi cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis eius: heredi

autem hoc imputari non potest, cùm non sponte cum legatariis contrahit. 1. ¶ Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

20. Pomponius *libro septimo ad Sabinum.*

QVotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

21. Ulpianus *libro vicesimoseptimo ad Sabinum.*

NOn debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

22. Idem *libro vicesimo octavo ad Sabinum.*

IN personam servilem nulla cadit obligatio. 1. ¶ Generaliter probandum est, ubicunque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium domini vel procuratoris conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

23. Idem *libro vicesimo nono ad Sabinum.*

COntractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam: dolũ tantùm, depositum, & precarium: dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item

item dotis datio, tutelæ, negocia gesta, in his quidem & diligentiam. Societas & rerum communio, & dolum, & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus. Nam hoc servabitur, quod initio convenit. Legem enim contractus dedit: excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur. Hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est: & ita utimur. Animalium verò casus, mortes, quæque sine culpa accedunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnarum magnitudines, impetus prædonum à nullo præstantur.

24. Paulus *lib. 5. ad Sabinum.*

QVatenus cuius interest, in facto, non in jure consistit.

25. Pomponius *libro undecimo ad Sabinum.*

PLus cautionis in re est, quàm in persona.

26. Ulpianus *libro trigesimo ad Sabinum.*

QVi potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus & absentibus potest.

27. Pomponius *libro decimosexto ad Sabinum.*

NEc ex prætorio, nec ex solemni jure privatorum conventione quicquam immutandum est, quamvis obligationum causæ pactione possint immutari & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem, quia actionum modus vel lege, vel per prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur: nisi tunc, cùm inchoatur actio, inter eos convenit.

28. Ulpianus *libro trigesimosexto ad Sabinum.*

DIvus Pius rescripsit, eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

29. Paulus *libro octavo ad Sabinum.*

QUod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

30. Ulpianus *libro trigesimosexto ad Sabinum.*

NUptias non concubitus, sed consensus facit.

31. Idem *libro quadragesimosecundo ad Sabinum.*

VErum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere, quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione

potest

potest comprehendi, ut utilem actionem aut factum efficere possit.

32. Idem *libro quadragesimotertio ad Sabinum.*

QVod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, non tamen & jure naturali. Quia, quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.

33. Pomponius *libro vicesimosecundo ad Sabinum.*

IN eo, quo vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris.

34. Ulpianus *libro quadragesimoquinto ad Sabinum.*

SEmper in stipulationibus & in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est, aut si non appareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergò, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

35. Idem *libro quadragesimo octavo ad Sabinum.*

NIhil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est: ideò verborum obligatio verbis tollitur: nudi

consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

36. Pomponius *libro vicesimoseptimo ad Sabinum.*

CUlpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti.

37. Ulpianus *libro quinquagesimo primo ad Sabinum.*

NEmo, qui condemnare potest, absolvere non potest.

38. Pomponius *libro vicesimonono ad Sabinum.*

SIcuti pœnâ ex delicto defuncti heres teneri non debeat: ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum perveniisset.

39. Idem *libro trigesimosecundo ad Sabinum.*

IN omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit, quo minus fiat.

40. Idem *libro trigesimoquarto ad Sabinum.*

FUrioso, vel eius, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.

41. Ulpianus *libro vigesimosexto ad Edictum.*

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur.

1. ¶ In

1. ¶ In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quàm adventitio lucro.

42. Gajus *libro nono ad edictum provinciale.*

QVi in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejuſſores quoq; non minùs, quàm heredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de herede dicta ſunt: ſi cum eo agetur: non etiam ſi agat: nam planè, qui agit, certus eſſe debet: cùm ſit in poteſtate eius, quando velit, experiri: & antè debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

43. Ulpianus *libro viceſimo octavo ad Edictum.*

NEmo ex his, qui negant, ſe debere, prohibetur etiam aliâ defenſione uti, niſi lex impedit.

1. ¶ Quotiens occurrunt plures actiones eiuſdem rei nomine, unà quis experiri debet.

44. Idem *libro viceſimo nono ad Edictum.*

TOtiens in heredem damus de eo, quod ad eum pervenit, quotiens ex dolo defuncti convenitur, non quotiens ex ſuo.

45. Idem *libro trigesimo ad edictum.*

NEque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei suæ consistere potest.

1. ¶ Privatorum conventio juri publico non derogat.

46. Gajus *libro decimo ad edictum provinciale.*

QVod à quoquo pœnæ nomine exactum est, id eidem restituere nemo cogitur.

47. Ulpianus *libro trigesimo ad Edictum.*

CONsilii non fraudulenti nulla obligatio est. Cæterùm si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit.

1. ¶ Socii mei socius, meus socius non est.

48. Paulus *libro trigesimo quinto ad Edictum.*

QVidquid [in] calore iracundiæ vel fit, vel dicitur: non prius ratum est, quàm si perseverantia apparuit judicium animi fuisse. Ideóque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur.

49. Ulpianus *libro trigesimoquinto ad Edictum.*

ALterius circumventio alii non præbet actionem.

50. Pau-

50. Paulus *libro trigesimonono ad Edictum.*

CUlpâ caret, qui scit, sed prohibere non potest.

51. Gajus *libro quintodecimo ad Edictum Provinciale.*

NOn videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.

52. Ulpianus *libro quadragesimoquarto ad Edictum.*

NOn defendere videtur, non tantùm qui latitat, sed & is, qui præsens negat se defendere, aut non vult suspicere actionem.

53. Paulus *libro quadragesimosecundo ad Edictum.*

CUius per errorem dati repetitio est, eius consultò dati donatio est.

54. Ulpianus *libro quadragesimo sexto ad Edictum.*

NEmo plus juris ad alium transferre potest quàm ipse haberet.

55. Gajus *libro secundo de testamentis ad Edictum urbicum.*

NUllus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.

56. Idem *libro tertio de legatis ad Edictum urbicum.*

SEmper in dubiis benigniora præferenda sunt.

57. Idem *libro decimo octavo ad Edictum Provinciale.*

BOna fides non patitur, ut bis idem exigatur.

58. Ulpianus *libro secundo Disputationum.*

EX pœnalibus causis non solet in partem de peculio actio dari.

59. Idem *lib. 3. Disputationum.*

HEredem eiusdem potestatis jurisque esse, cuius fuit defunctus, constat.

60. Idem *lib. 10. Disputationum.*

SEmper qui non prohibet, pro se intervenire, mandare creditur. Sed & si quis ratum habuerit, quod gestum est, obstringitur mandati actione.

61. Idem *lib. 3. Opinionum.*

DOmum suam reficere unicuiq; licet, dum non officiat invito alteri, in quod jus non habet.

62. Julianus *lib. 6. Digestorum.*

HEreditas nihil aliud est, quàm successio in universum jus, quod defunctus habuerit.

63. Idem *libro decimo septimo Digestorum.*

Qui

QVi sine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

64. Idem *lib.* 29. *Digestorum.*

EA, quæ raro accidunt, non temerè [in] agendis negociis computantur.

65. Idem *libro quinquagesimoquarto Digestorum.*

EA est natura cavillationis, quam Græci σωρίτην (*id est, acervalem syllogismum*) appellant, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quę evidenter falsa sunt, perducatur.

66. Idem *lib.* 60. *Digestorum.*

M*Arcellus*: Definit debitor esse is, qui nactus est exceptionem justam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

67. Idem *libro octogesimo septimo Digestorum.*

QVotiens idem sermo duas sententias exprimit: ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est.

68. Paulus *libro singulari de dotis repetitione.*

IN omnibus causis id observatur: ut, ubi personę conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ beneficium quoque deficiat. Ubi verò genus actionis id ibi desiderat: ad quem-

quemvis persecutio eius devenerit, non desicia: ratio auxilii.

69. Idem *libro singulari de adsignatione libertorum.*

Invito beneficium non datur.

70. Ulpianus *libro primo de officio Proconsulis.*

NEmo potest gladii sibi potestatem datam vel cuius alterius coërcitionis, ad alium transferre.

71. Idem *libro secundo de officio Proconsulis.*

OMnia quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum expediri non possunt.

72. Javolenus *libro tertio ex posterioribus Labeonis.*

FRuctus rei est vel pignori dare licere.

73. Quintus Mutius Scævola *libro singulari* ὁρῶν.

QVò tutela redit, eò hereditas pervenit, nisi cùm fœminæ heredes intercedunt.

1. ¶ Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quem in suis heredibus, cùm moritur, habuit habiturúsve esset, si vixisset.

2. ¶ Vi

2. ¶ Vi factum id videtur esse, qua de re quis, cùm prohibetur, fecit. Clàm, quod quisque, cùm controversiam haberet, habiturúmve se putaret, fecit.

3. ¶ Quæ in testamento ita sunt scripta, ut intelligi non possint: perinde sunt, ac si scripta non essent.

4. ¶ Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando quisquam alteri cavere potest.

74. Papinianus *libro primo Quæstionum.*

NOn debet alteri per alterum iniqua condicio inferri.

75. Idem *libro tertio Quæstionum.*

NEmo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.

76. Idem *libro vicesimo quarto Quæstionum.*

IN totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi verâ & certâ scientiâ perfici possunt.

77 Idem *libro vicesimo octavo Quæstionum.*

ACtus legitimi, qui recipiunt diem vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris,

ris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Nonnunquam tamen actus supra scripti tacitè recipiunt, quæ apertè comprehensa vitium adferunt. Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demùm egisse aliquid, acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio exstiterit, quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

78. Idem *libro trigesimo primo Quæstionum.*

GEneraliter, cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor, sed quid per adversarium habere non potuerit, considerandum est.

79. Idem *libro trigesimo secundo Quæstionum.*

FRaudis interpretatio semper in jure civili, non ex eventu duntaxat, sed ex consilio quoque desideratur.

80. Idem *libro trigesimo tertio Quæstionum.*

IN toto jure generi per speciem derogatur: & illud potissimùm habetur, quod ad speciem directum est.

81. Idem *libro trigesimo Responsorum.*

Quæ

QVæ dubitationis tollendæ caussâ contractibus inseruntur, jus commune non lædunt.

82. Idem *libro nono Responsorum.*

DOnari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

83. Idem *libro secundo definitionum.*

NOn videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

84. Paulus *libro tertio Quæstionum.*

CÙm amplius solutum est, quàm debebatur, cuius pars non invenitur, quæ repeti possit: totum esse indebitum intelligitur, manente pristinâ obligatione.

1. ¶ Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.

85. Idem *libro sexto Quæstionum,*

IN ambiguis, pro donibus respondere melius est. 1. ¶ Non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent: licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt.

2. ¶ Quotiens æquitas desiderii, naturalis ratio aut dubitatio juris moratur: justis decretis res temperanda est.

86. Idem

86. Idem *libro septimo Quæstionum.*

NOn solet deterior conditio fieri eorum, qui litem contestati sunt, quàm si non; sed plerunque melior.

87. Idem *libro decimo quinto Quæstionum.*

NEmo enim in persequendo deteriorem causam, sed meliorem facit. Deniq; post litem contestatam heredi quoque prospiceretur, & heres tenetur ex omnibus causis.

88. Scævola *libro quinto Quæstionum.*

NUlla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est.

89. Paulus *libro vigesimo Quæstionum.*

QVamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

90. Idem *libro decimoquarto Quæstionum.*

IN omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est.

91. Idem *libro decimo septimo Quæstionum.*

QVotiens duplici jure defertur alicui successio repudiato novo jure, quod ante defertur, supererit vetus.

92. Scæ-

92. Scævola *lib. 5. Responsorum.*

SI Librarius in transscribendis stipulationis verbis errasset: nihil nocere, quo minus & reus & fidejussor teneatur.

93. Mæcianus *libro primo Fideicommissorum.*

FIliusfamilias neq; retinere, neq; recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

94. Ulpianus *libro secundo Fideicommissorum.*

NOn solent, quæ abundant, vitiare scripturas.

95. Idem *libro sexto Fideicommissorum.*

NEmo dubitat, solvendo videri eum, qui defenditur.

96. Macianus *libro duodecimo Fideicommissorum.*

IN ambiguis orationibus maximè sententia spectanda [est] eius, qui eas protulisset.

97. Hermogenianus *libro tertio juris Epitomarum.*

EA sola deportationis sententia aufert, quæ ad fiscum perveniunt.

98. Idem *libro quarto juris Epitomarum.*

QVotiens utriusque causa lucri ratio vertitur: is præferendus est, cuius in lucrum causa tempore præcedit.

99. Venulejus *libro duodecimo stipulationum.*

NOn potest improbus videri, qui ignorat, quantum solvere debeat.

100. Gajus *lib. 1. Regularum.*

OMnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

101. Paulus *libro singulari de cognitionibus.*

VBi lex duorum mensium fecit mentionem: & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est. Ita enim & Imperator Antoninus cum divo patre suo rescripsit.

102. Ulpianus *lib. 1. ad Edictum.*

QVi vetante prætore fecit, hic adversus edictum fecisse propriè dicitur.

1. ¶ Eius est actionem denegare, qui possit & dare.

103. Paulus *libro primo ad Edictum.*

NEmo de domo sua extrahi debet.

104. Ulpianus *libro secundo ad Edictum.*

SI in duabus actionibus alibi summa major, alibi infamia est, præponenda est causa existi-

iſtimationis. Ubi autem æquiparantur famoſa judicia, etſi ſummam imparem habent pro paribus accipienda ſunt.

105. Paulus *lib.* 1. *ad Edictum.*

UBicunq; cauſę cognitio eſt, ibi prætor deſideratur.

106. Idem *libro primo ad Edictum.*

LIbertas inæſtimabilis res eſt.

107. Gajus *libro ſecundo ad Edictum Provinciale.*

CUm ſervo nulla actio eſt.

108. Paulus *lib.* 4. *ad Edictum.*

FEre in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ ſuccurritur,

109. Idem *libro quinto ad Edictum.*

NUllum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere (non) poteſt.

110. Idem *libro ſexto ad Edictum.*

IN eo, quod plus ſit, ſemper ineſt & minus.

1. ¶ Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi ſit cum ſatisdatione.

2. ¶ Pupillus pati poſſe non intelligitur. 3. ¶ Ubi verba conjuncta non ſunt: ſufficit alterutrum eſſe factum. 4. ¶ Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, cùm defendantur, non ut faciliùs calumnientur.

111. Gajus *libro secundo ad Edictum Provinciale.*

PUpillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse, & furandi, & injuriæ faciendæ.

1. ¶ In heredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio: veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

112. Paulus *lib.* 8. *ad Edictum.*

NIhil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

113. Gajus *libro tertio ad Edictum Provinciale.*

IN toto & pars continetur.

114. Paulus *lib* 9. *ad Edictum.*

IN obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerunq; fieri solet.

115. Idem *lib.* 10. *ad Edictum.*

SI quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse.

1. ¶ Non potest videri accepisse qui stipulatus, potest tamen exceptione summoveri.

116. Ulpianus *libro undecimo ad Edictum.*

Nihil

NIhil consensui tam contrarium est, qui & bonæ fidei judicia sustinet, quàm vis, atque metus: quem comprobare, contra bonos mores est.

1. ¶ Non capitur, qui jus publicum sequitur. 2. ¶ Non videntur, qui errant consentire.

117. Paulus *libro undecimo ad Edictum.*

PRætor bonorum possessorem, heredis loco in omni causa habet.

118. Ulpianus *libro duodecimo ad Edictum.*

QVi in servitute est, usucapere non potest. Nam cùm possideatur, possidere non videtur.

119. Idem *libro decimotertio ad Edictum.*

NOn alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

120. Paulus *libro duodecimo ad Edictum.*

NEmo plus commodi heredi suo relinquit quàm ipse habuit.

121. Idem *libro decimotertio ad Edictum.*

QVi non facit, quod facere debet: videtur facere adversus ea,, quia non facit. Et qui

facit, quod facere non debet: non videtur facere id, quod facere jussus est.

122. Gajus *libro quinto ad Edictum. Provinciale.*

LIbertas omnibus rebus favorabilior est.

123. Ulpianus *libro decimo quarto ad Edictum.*

NEmo alieno nomine lege agere potest. 1. ¶ Temporaria permutatio jus provinciæ non innovat.

124. Paulus *libro decimo sexto ad Edictum.*

VBi non voce, sed præsentiâ opus est: mutus, si intellectum habet, potest videri respondere. Idem in surdo: hic quidem [&] respondere potest. 1. ¶ Furiosus absentis loco est. Et ità Pomponius libro 1. Epistolar. scribit.

125. Gajus *libro quinto ad Edictum. Provinciale.*

FAvorabiliores rei potiùs, quàm actores, habentur.

126. Ulpianus *libro decimo quinto ad Edictum.*

NEmo prædo est, qui pretium numeravit. 1. ¶ Locupletior non est factus, qui libertum adquisiverit. 2. ¶ Cùm de lucro duo-

duorum quæratur: melior est causa possidentis.

127. Paulus *libro vicesimo ad Edictum.*

Cùm prætor in heredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit, sufficit, si vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

128. Idem *libro decimo nono ad Edictum.*

IN pari causa possessor potior haberi debet. 1. ¶ Hi, qui in universum jus succedunt, heredis loco habentur.

129. Idem *libro vicesimo primo ad Edictum.*

NIhil dolo creditor facit, qui suum recipit. 1. ¶ Cùm principalis causa non consistit,: ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habet.

130. Ulpianus *libro decimo octavo ad Edictum.*

NUnquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

131. Paulus *libro vicesimo secundo ad Edictum.*

QVi dolo desierit possidere, pro possidente damnatur: quia pro possessione dolus est.

132. Gajus *libro septimo ad Edictum Provinciale.*

IMperitia culpæ adnumeratur.

133. Idem *libro octavo ad Edictum Provinciale.*

MElior conditio nostra per servos fieri potest: deterior fieri non potest.

134. Ulpianus *libro vicesimo primo ad Edictum.*

NOn fraudantur creditores, cùm quid non adquiritur â debitore: sed cùm quid de bonis diminuitur.

1. ¶ Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

135. Idem *libro vicesimotertio ad Edictum.*

EA, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur.

136. Paulus *libro decimo octavo ad Edictum.*

BOna fides tantundem possidenti præstat, quantum veritas, quotiens lex impedimento non est.

137. Ulpianus *libro vicesimo quinto ad Edictum.*

QVi auctore judice comparavit, bonæ fidei possessor est.

138. Pau-

138. Paulus *libro vicesimo septimo ad Edictum.*

OMnis hereditas, quamvis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur.

1. ¶ Nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio.

139. Gajus *libro ad Edictum Prætoris urbani.*

OMnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio, salvæ permanent.

1. ¶ Non videtur perfectè cuiusq; id esse, quod ex casu auferri potest.

140. Ulpianus *libro quinquagesimo sexto ad Edictum.*

ABsentia eius, qui Reipublicæ caussâ abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

141. Paulus *libro quinquagesimo quarto ad Edictum.*

QVod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia.

1. ¶ Uni duo pro solido heredes esse non possunt.

142. Idem *libro quinquagesimo sexto ad Edictum.*

QVi tacet, non utique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare.

143. Ulpianus *libro sexagesimo secundo ad Edictum.*

QVod ipsis, qui contraxerunt, obstat: & successoribus eorum obstabit.

144. Paulus *libro sexagesimo secundo ad Edictum.*

NOn omne quod licet, honestum est.

1. ¶ In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

145. Ulpianus *libro sexagesimo sexto ad Edictum,*

NEmo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

146. Paulus *lib. 62. ad Edictum.*

QVod quis, dum servus est, egit: proficere libero facto non potest.

147. Gajus *libro vicesimo quarto ad Edictum Provinciale.*

SEmper specialia generalibus insunt.

148. Paulus *libro decimo sexto brevi Edicti.*

CUius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent.

149. Ulpianus *libro sexagesimo septimo ad Edictum.*

Ex

EX qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet.

150. Idem *libro sexagesimo octavo ad Edictum.*

PArem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, vel habeat, atq; eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret, vel haberet.

151. Paulus *libro sexagesimo quarto ad Edictum.*

NEmo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet.

152. Ulpianus *libro sexagesimo nono ad Edictum.*

HOc jure utimur, ut quidquid omninò per vim fiat, aut in vis publicæ aut in vis privatæ crimen incidat.

1. ¶ Dejicit, & qui mandat. 2. ¶ In maleficio ratihabitio mandato comparatur. 3. ¶ In contractibus, in quibus doli præstatio vel bona fides inest, heres in solidum tenetur.

153. Paulus *libro sexagesimo quinto ad Edictum.*

FEre quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iisdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla possessi-

sessio adquiri, nisi animo & corpore potest: ita nulla admittitur, nisi in qua utrumque in contrarium sit.

154. Ulpianus *libro septuagesimo ad Edictum.*

Cùm par delictum est duorum semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa, sicut fit, cùm de dolo excipitur petitoris. Neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut si rei quoque in eare dolo actum sit.*

1. ¶ Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

155. Paulus *libro sexagesimo quinto ad Edictum.*

FActum cuique suum, non adversario nocere debet.

1. ¶ Non videtur vim facere, qui jure suo utitur, & ordinariâ actione experitur. 2. ¶ In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

156. Vlpianus *libro septuagesimo ad Edictum.*

INvitus nemo [rem] cogitur defendere. 1. ¶ Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere, multò magis quis dixerit. 2. ¶ Cùm quis in alii locum successerit; non est æquum ei nocere hoc, quod adver-

versus eum nocuit, in cuius locum successit.
3. ¶ Plerunque emptoris eadem causa esse debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris.
4. ¶ Quod cuique [pro eo] præstatur, invito non tribuitur.

157. Idem *libro septuagesimo primo ad Edictum.*

AD ea, quæ non habent atrociratem facinoris vel sceleris, ignoscitur servis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, (veluti tutoribus & curatoribus) obtemperaverint.
1. ¶ Semper, qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus est, ac si haberet.
2. ¶ In contractibus successores ex dolo eorum, (quibus) successerunt, non tantum in id, quod pervenit, verùm etiam in solidum tenentur: hoc est, unusquisque pro ea parte, quâ heres est.

158. Gajus *libro vicesimo sexto ad Edictum Provinciale.*

CReditor, qui permittit rem venire, pignus demittit.

159. Paulus *libro septuagesimo ad Edictum.*

NOn ut ex pluribus causis deberi nobis idem

dem potest, ita ex pluribus causis idem possit nostrum esse.

160. Ulpianus *libro septuagesimo sexto ad Edictum.*

ALiud est vendere, aliud vendenti consentire. 1. ¶ Refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem.

2. ¶ Absurdum est, plus juris habere [eum,] cui legatus sit fundus, quàm heredem aut ipsum testatorem, si viveret.

161. Idem *libro septuagesimo septimo ad Edictum.*

IN jure civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditione non impleri fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset, quod ad libertatem, & legata, & ad heredum institutiones perducitur. Quibus exemplis stipulationes quoq; committuntur, cùm per promissorem factum esset, quò minus stipulator conditioni pareret.

162. Paulus *libro septuagesimo ad Edictum.*

QVæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi.

163. Ulpianus *libro quinquagesimo quinto ad Edictum.*

Cuius

CUius est donandi: eidem & vendendi, & concedendi jus est.

164. Paulus *libro quinquagesimo primo ad Edictum.*

Pœnalia judicia semel accepta in heredes transmitti possunt.

165. Ulpianus *libro quinquagesimo tertio ad Edictum.*

Cùm quis possit alienare, poterit & consentire alienationi. Cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causâ consenserit, ratam eius voluntatem habendam.

166. Paulus *libro quadragesimo octavo ad Edictum.*

QVi rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

167. Idem *libro quadragesimo nono ad Edictum.*

NOn videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt.

1. ¶ Qui jussu judicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet.

168. Idem *libro primo ad Plautium.*

) Apienda occasio est, quæ præbet benignius responsum.

1. ¶ Quod-

1. ¶ Quod factum est, cùm in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem

169. Idem *lib.2. ad Plautium.*

IS damnum dat, qui jubet dare, eius vero nulla culpa est, cui parere necesse sit.

1. ¶ Quod pendet, non est pro eo, quasi sit.

170. Idem *lib. 4. ad Plautium.*

FActum à judice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non est.

171. Idem *lib 4. ad Plautium.*

NEmo ideò obligatur, quia recepturus est ab alio quod præstiterit.

172. Idem *lib.5. ad Plautium.*

IN contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1. ¶ Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit.

173. Idem *lib.6. ad Plautium.*

IN condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est: sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.

1. ¶ Cùm verbum *Restituas* lege invenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. 2. ¶ Vnicuique sua mora nocet, quod & in duobus rei promittendis observatur.

3. ¶ Do-

3. ¶ Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

174. Idem *lib. 8. ad Plautium.*

QVi potest facere, ut possit conditioni parére: jam posse videtur.

1. ¶ Quod quis, si velit habere, non potest: id repudiare non potest.

175. Idem *libro undecimo ad Plautium.*

IN his, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest 1. ¶ Non debeo melioris conditionis esse, quàm auctor meus, à quo jus in me transit.

176. Idem *libro decimotertio ad Sabinum.*

NOn est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi. 1. ¶ Infinita æstimatio est libertatis & necessitudinis.

177. Idem *libro decimo quarto ad Plautium.*

QVi in jus, dominium vel alterius succedit, jure eius uti debet. 1. ¶ Nemo videtur dolo exsequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

178. Idem *libro decimo quinto ad Plautium.*

Cùm principalis causa non consistat, plerunq; ne ea quidem, quę sequuntur, locum habent.

179. Idem *libro decimosexto ad Plautium.*

IN obscura voluntate manumittentis favendum est libertati.

180. Idem *libro decimo septimo ad Plautium.*

QVod jussu alterius solvitur: pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

181. Idem *lib. 1. ad Vitellium.*

SI nemo subiit hereditatem, omnis vis testamenti solvitur.

182. Idem *lib. 5. ad Vitellium.*

QVod nullius esse potest: id ut alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere.

183. Marcellus *lib. 3. Digestorum.*

ETsi nihil facile mutandum est ex solennibus: tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

184. Celsus *libro septimo Digestorum.*

VAni timoris justa excusatio non est.

185. Idem *libro octavo Digestorum.*

Impos-

IMpossibilium nulla obligatio est.

Idem 186. *libro duodecimo Digestorum.*

NIhil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit. Et cum solvendi tempus obligationi additur: nisi eo præterito, peti non potest.

187. Idem *libro decimo sexto Digestorum.*

SIquis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

188. Idem *libro decimoseptimo Digestorum.*

VBi pugnantia inter se in testamento jubeantur, neutrum ratum est. 1. ¶ Quæ rerum natura prohibentur, nullâ lege confirmata sunt.

189. Idem *libro decimo tertio Digestorum.*

PUpillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi adposita tutoris autoritate, creditur: Nam quod animi judicio fit, in eo tutoris auctoritas necessaria est.

190. Idem *libro vicesimo quarto Digestorum.*

QVod evincitur, in bonis non est.

191. Idem *libro trigesimo tertio Digestorum.*

NEratius Consultus, an quod beneficium dare se quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur, respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse. Quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse.

192. Marcellus *libro vicesimo nono Digestorum.*

EA, quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis heredibus debentur.

1. ¶ In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quàm tutius.

193. Celsus *libro trigesimo octavo Digestorum.*

OMnia ferè jura heredum perinde habentur, ac si continuò sub tempus mortis heredes exstitissent.

194. Modestinus *libro sexto differentiarum.*

QVi per successionem quamvis longissimam defuncto heredes constiterunt, non minùs heredes intelliguntur, quàm qui principaliter heredes existunt.

195. Idem *lib. 7. Differentiarum.*

EXpressa nocent, non expressa non nocent.

196. Idem

196. Idem *libro octavo Regularum.*

PRivilegia quædam causæ sunt, quædam personæ. Et ideò quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt: quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

197. Idem *libro singulari de ritu nuptiarum.*

SEmper in conjunctionibus non solùm quid liceat, considerandum est: sed & quid honestum sit.

198. Javolenus *libro decimo tertio ex Cassio.*

NEq; in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris: sive solvendo est, sive non est.

199. Idem *lib. 6. Epistolarum.*

NOn potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.

200. Idem *lib. 7. Epistolarum.*

QVotiens nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

201. Idem *lib. 10. Epistolarum.*

OMnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

202. Idem *lib. 11. Epistolarum.*

OMnis definitio in jure civili periculosa est, parum est enim, ut non subverti posse.

203. Pomponius *libro octavo ad Quintum Mucium.*

QVod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

204. Idem *libro 28. ad Quintum Mucium.*

MInus est actionem habere, quam rem.

205. Idem *libro 39. ad Quintum Mucium.*

PLerunq; fit, ut etiam ea, quæ nobis abire possint, proinde in eo statu sint, atq; si non essent eius conditionis, ut abire possent, & ideo, quod fisco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & servitutem in prædio imponere possumus.

206. Idem *libro nono ex variis lectionibus.*

JUre naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem.

207. Ulpianus *lib. 1. ad legem Iuliam & Papiam.*

Res

REs judicata pro veritate accipitur.

208. Paulus *lib. 3. ad legem Iuliam & Papiam.*

NOn potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.

209. Ulpianus *lib. 4. ad legem Iuliam & Papiam.*

SErvitutem mortalitati ferè comparamus.

210. Licinnius Rufinus *libro secundo Regularum.*

QVæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest.

211. Paulus *libro quinquagesimo nono ad Edictum.*

SErvus Reipublicæ caussâ abesse non potest.

REGULÆ JURIS CANONICI,

QVÆ EXSTANT

Sexti Decretalium

libr. 5. in fine, & Bonifacio VIII. adscribuntur.

I.

BEneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri.

2. Possessor bonæ fidei ullo tempore non præscribit.

3. Sine possessione præscriptio non procedit.

4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

5. Pec-

5. Peccati venia non datur, nisi correcto.

6. Nemo potest ad impossibile obligari.

7. Privilegium personale personam sequitur, & extingvitur cum persona.

8. Semel malus, semper præsumitur esse malus.

9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.

11. Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.

12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

13. Ignorantia facti, non juris excusat.

14. Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

15. Odia restringi, & favores convenit amplari.

16. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.

17. Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.

18. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

19. Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

21. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur: cùm habeat parêre necesse.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea, quæ fiunt à judice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.

27. Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus.

28. Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

30. In obscuris minimum est sequendum.

31. Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.

32. Non licet actori, quod reo licitum non existit.

33. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.

34. Ge-

34. Generi per speciem derogatur.

35. Plus semper in se continet, quod est minus.

36. Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.

39. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.

40. Pluralis locutio, duorum numero est contenta.

41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

43. Qui tacet, consentire videtur.

44. Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utiq; negare videtur.

45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerunq; fieri consuevit.

46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebit.

47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

49. In

49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

51. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.

52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.

53. Cuilibet, quod est plus, licet utique, quod est minus.

54. Qui prior est tempore, potior est jure.

55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & econtrà.

56. Jure communi potior est conditio prohibentis.

57. Contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda.

58. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.

60. Non est in mora, qui potest exceptione se tueri.

61. Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.

62. Nullus ex consilio, dummodò fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. Ex-

63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri.

64. Quæ contra jus fiunt: debent utique pro infectis habere.

65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

66. Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur: haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

68. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

69. In malis promissis fidem non expedit observari.

70. In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.

71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.

73. Factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, â quo non potuit inchoari.

74. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.

75. Fru-

75. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cùm fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.

76. Dictum perſonæ, non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

77. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

79. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.

80. In toto partem non eſt dubium contineri.

81. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

83. Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

84. Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

86. Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.

87. In

87. In famibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

FINIS

REGULARUM

JURIS CANONICI.



INDEX
TITULORUM SEU RUBRICARUM QVATUOR librorum Institutionum Justiniani,

In quo prior numerus librum, alter Tutulum demonstrat.

A

de Acquisitione per adrogationem. 3. 11.
Actionibus. 4. 6.
Ademptione legatorum & translatione eorum. 2. 21.
Adoptionibus. 1. 11.
Adsignatione libertorum. 3. 9.
Attiliano tutore, & eo, qui ex lege Julia & Titia dabatur. 1. 20.
Auctoritate tutor. & curatorum. 1. 21.

B

de Bonorum possessionibus. 3. 10.

C

Capitis deminutione. 1. 16.
de Codicillis. 2. 25.
Curatoribus. 1. 23.

Divi-

D

de Divisione stipulationum. 3. 19.
Donationibus. 2. 7.
Duobus reis stipulandi. 3. 17.

E

de Emptione & venditione. 3. 24.
Eo, cui libertatis caussá bona addicuntur. 3. 12.
Exceptionibus. 4. 13.
Excusationibus tutorum vel curatorum. 1. 25.
Exheredatione liberorum. 2. 13.

F

de Fideicommissariis hereditatibus, & ad S.C. Trebellianum. 2. 23.
Fidejussoribus. 3. 17.
Fiduciaria tutela. 1. 19.

G

de Gradibus cognationum. 3. 6.

H

de Heredibus instituendis. 2. 14.
Hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur. 3. 1.
Heredum qualitate & differentiâ 2. 19.
His, qui sui vel alieni juris. 1. 8.

I

de Ingenuis. 1. 4.
Injuriis. 4. 4.
Inofficioso testamento. 2. 18.
Interdictis. 4. 15.
Inutilibus stipulationibus. 3. 20.
Iis, per quos agere possumus. 4. 10.
Jure naturali gen. & civ. 1. 2.
Jure personarum. 1. 3.
Justitia & jure. 1. 1.

L

de Legatis. 2. 20.
Lege Aquilia. 4. 3.
Lege Falcidiâ, 2. 22.
Lege Fusiâ Caniniâ tollendâ 1. 7.
Legitima agnatorum successione. 3. 2.
Legitima agnatorum tutelâ. 1. 15.
Legitimâ parentum tutelâ. 1. 18.
Legitimâ patronorum tutela. 1. 17.
Libertinis. 1. 5.
Literarum obligationibus. 3. 22.
Locatione & conductione. 3. 25.

M

de Mandato. 3. 27.
Militari testamento. 2. 11.

N

de Noxalibus actionibus. 4. 8.
Nuptiis. 1. 10.

de Ob-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0630
DFG

O

de Obligationibus. 3. 14.
Obligationibus ex consensu. 3. 23.
Obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur. 3. 28.
Obligationibus ex delicto. 4. 1.
Obligationibus quæ ex quasi delicto 4. 5.
Officio judicis. 4. 17.

P

de Patria potestate. 1. 9.
Perpetuis & temporalibus actionibus. 4. 12.
Per qnas personas cuique acquiritur. 2. 9.
Per quas personas nobis obligatio acquiritur. 3. 29.
Pœna temerè litigantium. 4. 16.
Publicis judiis. 4. 18.
Pupillari substitutione. 2. 16.

Q

Quibus alienare licet vel non. 2. 8.
Quibus ex causis manumittere non licet. 1. 6.
Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur. 1. 12.
Quibus modis re contrahitur obligatio. 3. 15.

Quibus modis testamenta infirmentur. 2. 17.
Quibus modis tollitur obligatio. 3. 30.
Quibus modis tutela finitur. 1. 22.
Quibus non est permissum facere testamentum. 2. 12.
Qui testamento tutores dari possunt. 1. 14.
Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negocium gestum esse dicetur. 4. 7.

R.

de Rebus corporalibus & incorporalibus. 2. 2.
Replicationibus. 4. 14
Rerum divisione, & adquirendo earum dominio. 2. 1.

S.

de Satisdatione tutorum vel curatorum. 1. 24.
Satisdationibns. 4. 11.
Senatusconsulto Orphitiano 3. 4.
Senatusconsulto Tertylliano. 3. 3.
Servili cognatione. 3. 7.
Servitutibus rusticorum & urbanorum prædiorum. 2. 3.
Singulis rebus per fideicommissum relictis. 2. 24.

Si

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur 4. 9.
de Societate. 3. 26.
Stipulatione ſervorum. 3. 18.
Succeſſione cognatorum. 3. 5.
Succeſſione libertorum. 3. 8.
Succeſſionibus ſublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex SCto Claudiano. 3. 13.
Suſpectis tutorib. vel curatorib. 1. 26.

T.

de Teſtamentis ordinandis. 2. 10.
Teſtamento militari. 2. 11.
Tutelis. 1. 13.

V.

de Verborum obligationibus. 3. 16.
Vi bonorum raptorum. 4. 2.
Uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus. 2. 6.
Uſu & habitatione. 2. 5.
Uſufructu. 2. 4.
Vulgari ſubſtitutione. 2. 15.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0633
DFG

BRESLÆ

EXCUDEBAT

GEORGIUS BAUMAN.



ANNO

M. DC. XIX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0634
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0641
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0642
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0643
DFG

Si quadrupes pauperiem fec

de Societate.
Stipulatione ſervorum.
Succeſſione cognatorum.
Succeſſione libertorum.
Succeſſionibus ſublatis, qu
bonorum vendition
Claudiano.
Suſpectis tutorib. vel curato

T.

de Teſtamentis ordinandis.
Teſtamento militari.
Tutelis.

V.

de Verborum obligationibus.
Vi bonorum raptorum.
Uſucapionibus, & longi te
ſcriptionibus.
Uſu & habitatione.
Uſufructu.
Vulgari ſubſtitutione.

FINI

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777861941/phys_0644
DFG